CONSTITVTIONES, ET DECRETA SYNODALIA

Ab Ill.mo et Reu.mo Domino

FR. ANTONIO BARBERINO

SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE TIT. S. HONVFRII
Presbytero Cardinale, & Apoſtolicæ Sedis gratia

EPISCOPO SENOGALLIENSE,

Et Comite in Diœceſana Synodo habita in Cathedrali Eccleſia Sancti Paulini in ipſo die feſto eiuſdem Sancti Quarto Nonis Maij Anni

M. DC. XXVII.



ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cam. Apoſt. M.DC.XXVII.

Superiorum Permiſſu.

IN NOMINE SANCTAE,
Et indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij,
et Spiritus Sancti Amen.

FR. ANTONIVS BARBERINVS

S. R. E. Tituli Sancti Honufrij, Presbyter Cardinalis, Et Apoſtolicæ Sedis gratia Senogalienſis Eccleſiæ Epiſcopus, & Comes.

Capitulo, Clero, & omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus noſtræ Senogallienſis Diœceſis ſalutem in Domino.

PASTORIS officium eſt, omnia, quæ ad reformandam Cleri diſciplinam, & ad Populorum morum emendationem ſpectant, diligenter, accuratèque videre, nàm Apoſtolus Paulus in actibus Apoſtolorum inquit: Attendite vobis, & vniuerſo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo: ne illi vnquam obijci poſſit, quod apud Iſaiam dicitur, Speculatores cæci, &c. Et idem Apoſtolus Epiſcopum in omnes partes vehementer excitat, dicens, Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple; Quare Nos eo Paſtoralis officij ſpiritu excitati animad-

Act. 20.
Iſaiæ 56.
2. Ad Thim. 4.

uertentes ad eamdem Paſtoris curam, & Cleri diſciplinam conſeruandam, & augendam, infraſcripta decreta in Noſtra Diœceſana Synodo, habita Die quarta Maij in noſtra Cathedrali Eccleſia Senogallien̄, ſtatuimus, & promulgauimus. Mandamus itaque vobis omnibus, & ſingulis, vt huiuſmodi decreta perpetuò in manu habeatis, & ſingula expendatis, cuſtodiatis, & exequutioni
1. Cor. 4. demandetis: Non recedat (inquit Dominus) volumen legis huius, & meditaberis in eo diebus, ac noctibus, vt cuſtodias, & facias omnia &c.



INDEX
CAPITVM.

Cap.		Pag.
1	DE Catholica fide.	3
2	De Doctrina Chriſtiana.	5
3	De Sacramentis in genere.	7
4	De Sacramento Baptiſmi.	10
5	De Sacramento Confirmationis.	15
6	De Sacramento Pœnitentiæ.	17
7	De Sacramento Euchariſtiæ.	26
8	De Sacramento Ordinis.	33
9	De Sacramento Extremæ Vnctionis.	38
10	De Sacramento Matrimonij.	39
11	De Sacroſancto Sacrificio Miſſæ.	46
12	De Sanctorum Reliquiis.	53
13	De Sanctorum Imaginibus.	55
14	De Exorciſmis Eccleſiæ.	58
15	De Eccleſiaſticis Ædificijs.	59
16	De Altaribus.	63
17	De Sacriſtia, & de Veſtibus ſacris.	64
18	De Campanis.	66
19	De Diebus feſtis.	68
20	De Ieiunijs.	70
21	De diuino Officio ſoluendo, Cantu, & Organo.	71
22	De Eccleſiæ cæremonijs.	75
23	De Proceſſionibus.	76
24	De Indulgentijs.	78
25	De Reuerentia in Eccleſijs ſeruanda.	79
26	De Cœmeterijs, & mortuorum ſepulturis.	80
27	De Eccleſiæ Iuribus, atq. redditibus conſeruãdis.	83
28	De Forma Inuentariorum.	89

29 De

29 De Eccleſiarum Collatione. 93
30 De Confidentijs. 95
31 De Eccleſijs Collegiatis, Capitulo, & pũctatore. 97
32 De Lectione Caſuum Conſcientiæ. 105
33 De Parochi Officio. 106
34 De Parochi reſidentia. 110
35 De Seminarijs Clericorum. 113
36 De vita, & moribus Clericorum in generali. 114
37 De Regularibus. 117
38 De Societatibus Laycorum. 118
39 De Monte Pietatis. 122
40 De Hoſpitalibus. 124
41 De Legatis pijs. 126
42 De Medicis. 127
43 De Ludimagiſtris. 128
44 De Iudæis. 129
45 De Blaſphematoribus. 130
46 De Maleficijs, & Superſtitionibus. 130
47 De Vſurarijs. 132
48 De Quæſtoribus Eleemoſynarum. 132
49 De Meretricibus, & Concubinis. 134
50 De Officinis, & Tabernis, & de Luſoribus. 134
51 De Monialibus. 135

TAVO-

TAVOLA
DELLE DENONTIE.

TAuola delle Denuntie: Pag. 137
Edictum de Hæreticis. 140
Indulgenze della dottrina Chriſtiana. 142
Decreto de i Matrimonij Clandeſtini. 144
Decreto di quelli, che sforzano le donne ad entrare ne i Monaſterij, ò l'impediſcono. 146
Decreto della Reſidenza. 147
Sommario della Bolla di Sisto V. ſopra i contratti illeciti. 150
Sommario della Bolla di Pio V. contro i beſtemmiatori. 151
Sommario della Bolla di Pio V. circa l'oſſeruanza delle feſte. 152
Sommario della Bolla contro i Confeſſori ſollecitanti. 153
Tauola degl' impedimenti del Matrimonio. 154
Inſtruttione per i Confeſſori. 157
Edictum de promouendis ad Ordines. 163
Instructio Prædicatorum pro Diœceſi Senogallienſi. 169
Decreto per i Laici. 173
Cenſure da incorrerſi ipſo facto per le conſtitutioni Sinodali di Senegaglia. 174
Soſpenſioni. 175
Forma Abſolutionis. 176

Imprimatur. Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Palatij Apoſt.

A. Epiſc. Hieracen. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Paulus Palumbara Socius Reuerendiſs. P. Fr. Nicolai Rodulfi Sacri, & Apoſtolici Palatij Magiſtri Ord. Prædicat.

SYNODVS SENOGALLIENSIS.

De Catholica Fide.
CAP. I.

§. 1. CHRISTI fideles in Deo nobis ſubiecti curabunt in primis, vt Catholicā Fidem non ſolum corde retineāt: ſed ſæpe ſæpius, & præcipuè inter orandum, ore profiteantur, gratias ſummas omnipotenti Deo agentes, qui puritatem fidei ſua benignitate nobis conceſſerit, ſine qua impoſſibile erat Deo placere, ſalutemq. conſequi. Et ad fidem ore confitendam ediſcant Chriſti fideles illa omnia, quæ Eccleſia Catholica credenda proponit Apoſtolorum Symbolo comprehenſa, Videlicet, Credo in vnum Deum, &c. Fidei Symbolū ediſcatur.

§. 2. Sacri autem Tridentini Concilij decretis inhærentes, & illius auctoritate roborati mandamus, & omninò obſeruari volumus, vt omnes, qui de beneficijs Eccleſiaſticis curam animarum habentibus prouiſi ſunt, & fidei profeſſionem adhuc non emiſerunt, modò præſenti Synodo, ſi adſunt, infra biduum à die publicationis conſtitutionis huius verbis, ſub certa forma à Sanctiſſimo Domino Noſtro Pio IV. tradita deſcriptis, Fidem Catholicam profiteantur. Fidei profeſſio à quibus fieri debeat.

§. 3. Hanc eandem ortodoxæ fidei publicam profeſſionem in futurum prouiſi de Dignitatibus, Canonicatibus, Cappellanijs, & Clericatibus in Eccleſia Cathe-

 drali,

drali, intra duos menſes à die adeptæ poſſeſſionis præſtare teneantur, non ſolum coram Epiſcopo, vel eiùs generali Vicario, ſed etiam in Capitulo. Item quicumque prouiſi fuerint de Eccleſiaſticis beneficijs curam animarum principaliter, ſiuè annexam habentibus: intra eoſdem duos menſes in manibus noſtris, aut Vicarij noſtri idem facere debent in Romanæ Eccleſiæ fide, & obedientia ſe permanſuros ſpondentes, atque iurantes. Quod ſi præfati præmiſſa non adimpleuerint (poſſeſſione Canonicatuum, dignitatum, & beneficiorum etiam pacifica non obſtante) fructus non faciant ſuos, & ad illorum reſtitutionem tanquã de indebitè perceptis obligantur. At qui ſemel præmiſſo modo fidem fuerit profeſſus, ad eam profitendam vlterius non teneatur.

A beneficiatis.

§. 4. Nullus regularis etiam in ſui Ordinis Eccleſia Conciones, lectiones ſacras, aut quaſcunque alias in Theologiæ, Philoſophiæ, vel liberalium artium facultatibus lectiones habere, vel exercere poſſit, niſi prius Fidei profeſſione in manibus noſtris, vel Vicarij noſtri Generalis facta, iuxta eandem Sanctiſsimi Domini Noſtri Pij Papæ IV. præſcriptam formam.

A Regularibus cõcionãtibus, vel publicè legentibus.

§. 5. Ad hanc præterea fidei profeſſionem emittendam teneantur prædicto menſis termino etiam quicunque in Diœceſi noſtra Medicinam, Chirugiam, Muſicã, Grammaticam, vel quamcunque aliam artem liberalem publicè, aut priuatim profitentur. Et quicunque in futurum aliquam ex his artibus exercere habent, priuſquam exercere incipiant, hanc ipſam orthodoxæ Fidei profeſsionem faciant.

A Medicis, Chirugicis, Muſicis, Grãmaticis, &c.

§. 6 Quæ omnia, vt executioni tradantur, inquirat quilibet animarum curam gerens, an in ſua Parochia aliquis exiſtat, qui his noſtris decretis non obtemperet; & infra menſem à cognirione illum nobis inſinuet: interea tamẽ eum facultatem ſuam exercere non permittat; alioquin ipſe curatus grauiter à nobis erit puniendus.

Parochus inquirat, ſi qui fidei profeſſionem, ad quam teneatur non faciat.

§. 7. No-

§. 7. Nomina autem eorum, qui extra Synodum Fidei profeſſionem præſtiterint, in librum in Epiſcopali Archiuio perpetuò aſſeruandum diligenter, & ordinatè referantur per Notarios Epiſcopalis curiæ de ea rogatos, adhibitis duobus, vel tribus teſtibus cum ſubſcriptione profitentium, ad perpetuam rei memoriam. Liber profitentium Catholicam Fidem.

§. 8. Et vt Catholica Fides ab omnibus falſæ doctrinæ zizanijs illibata perſeueret: ac de fidelium finibus prauitas extirpetur hæretica (qua in Chriſti Domini oues nulla peſtis maior) omnem diligentiam adhibebunt curam exercentes animarum, ac Vicarij foranei noſtri ſummo attendentes erunt ſtudio, An in ſuis Parochijs aliquis reperiatur de quacunque hæreſi ſuſpectus, cuius verba, & actiones de fide noſtra Catholica malè oleant: & ad nos ſtatim deferant, vel ad officium Sanctiſſimæ Inquiſitionis. Ex infraſcriptis autem maximè dignoſci poterunt à Parocho, qui meritò ſint cauendi, & tãquam de hæreſi ſuſpecti vlterius non tolerandi. De hæreſi ſuſpecti denũciãdi.

Si aliqui iuxta Sanctæ Matris Eccleſiæ præcepta ſaltem ſemel in anno præmiſſa peccatorum confeſſione Euchariſtiam in Paſchate ſuſcipere, Dominicis, & alijs diebus feſtiuis Miſſas audire non conſueuerint. Hęreſim ſapiẽtium indicia.

Si qui de rebus diuinis, & ſacra Scriptura malè, vel aliàs iocosè illius ſenſum peruertendo loquantur.

Si qui Sacerdotes, & Sacerdotalem dignitatem, aut authoritatem ſpernant, vel paruifaciant.

Si qui contra libertatem Eccleſiaſticam quicquam temerè moliantur, vel dicant.

Si qui de excõmunicationis gladio, qui Eccleſiaſticæ neruus eſt diſciplinæ, malè loquantur, ſentiant, vel illum ſpernant.

Si qui diuinationibus, Sortilegijs, Incantationibus, aut rebus quibuſuis ſuperſtitioſis incumbant.

> Quas actiones publicas abſque licẽtia fieri, teneantur Parochi non permittere.

§. 9. Ne ſub virtutum ſpecie vitia quandoque ſeminentur: In Congregationibus laicorum tàm virorum, quàm mulierum, per aliquem ex illis prædicari, aut de ſacra Scriptura aliquid exponi, ſiue legi: niſi licentia prius à Nobis in ſcriptis obtenta: Nec orationes à ludimagiſtris, ſiue alijs publicè recitari: Cuiuſuis quoque ſcientiæ, vel profeſſionis Concluſiones, Problemata, ſiuè Axiomata diſputanda proponi; præterquàm à Nobis recognita, & approbata, Parochi nullo pacto permittant. Qui ſi in his apparuerint negligentes, ſeuerè à Nobis, etiam priuatione beneficiorum, punientur.

> Excommunicatio in impedẽtes cõtra præfatos procedi.

§. 10. Si quis autem de præmiſſis accuſatos, inquiſitos, aut aliàs quomodolibet ab Epiſcopali curia moleſtatos, vel citatos, ſiue teſtes de huiuſmodi rebus notitiam habentes, de neganda veritate, vel falſitate dicẽda auſus fuerit inſtruere: Vel ſi quis directè, aut indirectè, quominus ea committentes, debita puniantur pœna, vel ne contra eos liberè procedi valeat, auſus fuerit impedire, Excommunicationis ſententiam, cuius abſolutionem nobis reſeruamus, ipſo facto incurrat. Omnes autem certò intelligant, à Nobis prout delicti qualitas requirit, acerrimè eos puniendos.

> Index librorũ prohibitorum à Parochis emendus.

§. 11. Et quoniam prauorum librorũ lectio mentem, moreſq; fidelium ſæpè corrumpere compertum eſt, Parochis omnibus expreſsè præcipiendo mandamus, vt quàm primum ſibi prouideant de librorum prohibitorũ Indice nouo: quem penès ſe continuè habeant: ac infra menſem à Conſtitutionis huius publicatione diligenter inquirant, An aliqui de eorum cura, libros Indice predicto prohibitos, aut ſuſpenſos, habeant: & quicquid inuenerint, Nobis ſtatim ſignificent.

> Quiuis libri venales exponi non permittantur.

§. 12. Non permittant Parochi in eorum cura quoſcunque libros licèt paruulos venales circumferri, aut exponi à quoquam, niſi prius ipſi eos Chriſtianæ Religioni non repugnare cognouerint; quos autem obſcæna

continentes, aut bonis moribus contrarios, vel ad impietatem inducentes, & Indice prædicto damnatos inuenerint, eos ſtatim dilanient, & igni tradant, Nobiſq; ſtatim ſignificent.

§. 13. Repræſentationes, quàmuis rerum ſpiritualium, prohibemus quouis loco publico, ſeù priuato vnquàm celebrari: niſi prius à Nobis licentia impetrata; vt diligenter ijs conſideratis, quæ fuerint recitanda, niſi quid indecens contineant, concedamus.

Repręſentationes, niſi de Epiſcopi licētia, non exhibeantur.

De Doctrina Chriſtiana.
CAP. II.

§. 1. Singulis diebus feſtis, præſertim verò Dominicis, Parochi in ſuis Eccleſijs pueros conuocent, & eos Chriſtianam doctrinam doceant. Quod ſi Curatorum culpa, & negligentia pueri ad ipſorum Eccleſias non conueniant ad Chriſtianam doctrinam ediſcendam: nullam excuſationem admittemus; ſed ſuſpenſione, alijſque pœnis ipſi Parochi à Nobis ſeuerè punientur.

Doctrina Chriſtiana omnibus diebus feſtis recitetur.

§. 2. Qui Parochus ruralium Eccleſiarum curam habet, vt etiam mulieres, & quamuis ſenes, hæc ipſa fidei rudimenta percipere queant; antequàm more ſolito inter Miſſarum ſolemnia diebus feſtiuis, populo confeſſionem proponat: alta, atque intelligibili voce, diſtinctè, & clarè Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum fidei, & Decem legis præcepta populo annunciet.

Orationes populū doceāt.

§. 3. Illud præterea Parochus valdè ſtudeat, vt quāplurimos poterit pueros, præſertim verò pauperes bonæ indolis, ad Eccleſiaſticæ vitæ normam erudiat; & eos pro paterno charitatis affectu probatis moribus, & litteris clericali officio congruentibus inſtruat; vt ſuo

Parochus pueros, pauperes pręſertim, & miſerabiles inſtruat.

tempore

tempore pro ætatis ſtudijs grauioribus operam nauantes, pietatis fructus in Eccleſiam pariant.

Scholæ, & ſocietates Doctrinæ Chriſtianæ erigendæ.

§. 4. Vicariorum Foraneorum curæ demandamus, vt in omnibus Parochialibus Eccleſijs ſcholæ; atq; Confraternitates Doctrinæ Chriſtianæ quàmprimum erigantur; quibus probatæ vitæ viros ætate graues ad hoc onus idoneos præficiant; qui diebus Dominicis ſanctum Dei hoc opus pueros, cæteróſque idiotas, & miſerabiles in Parochiali Eccleſia congregandi, & Doctrinam Chriſtianam, proboſq; mores eos inſtruendi exequatur. Vt autem alacriùs, atque libentiùs hoc onus ſubeant, & beneficiant, Parochus ijs Prefectis ſæpius explicet Indulgentias à fœlicis record. Pio V. Greg. XIII. ac poſtremò Paulo V. Pontif. Max. illis, qui Chriſtianæ Doctrinæ pio exercitio incumbunt, elargitas.

Parochus Doctrinę Chriſtianæ præſit.

§. 5. Quibus in locis Doctrinæ Chriſtianæ ſcholæ, aut ſocietes fuerint erectæ, illis Parochus præſit, ſæpè eas viſitet, an frequententur, & quos faciant in Dominio progreſſus intelligat: ac de non frequentantibus, ſi non poteſt ipſe pœnam infligere, apud illorum parentes conqueratur.

Clerici adſint.

Reliqui verò Clerici in ijs locis exiſtentes, quando Doctrina Chriſtiana diebus feſtis recitatur, adeſſe, & Parocho, cæteriſque auxiliari teneantur.

Orationẽ Dominicam, &c. ignorans non nubat, non ſit Patrinus, &c.

§. 6. Volumus tandem, & omninò obſeruari iubemus; vt qui ſiuè mas, ſiuè mulier neſcit culpâ ſua, eo videlicet, quod edoceri, vt opus erat, non curauerit, Orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, fidei Symbolum, & decem legis præcepta: ad matrimonium contrahendum à Parocho non admittatur: patrinus in Baptiſmate, aut Confirmatione eſſe non póſsit: ad quoſcunque Ordines, vel ad primam Tonſuram non recipiatur. Si tamen egerit, quod erat in ſe, vt illa addiſceret, ſed intellectus, aut memoriæ duritie, ſiue ruditate, non perceperit, legi huic non erit obnoxius.

Ideò

Ideò mandamus ſingulis Parochis, vt vnum Capitulum Doctrinæ Chriſtianæ magnæ D. Cardinalis Bellarminij exponant ſub pœnis expreſſis in fine huius libri, & vt facilius id adimplere poſſint vnicuique Curato vnum liberculum prædictæ Doctrinæ deſtribui curauimus, qui nunquam amoueatur à Parochia.

De Sacramentis in genere.
CAP. III.

§. 1. SI euangelicæ legis Sacramēta dignè recipiantur, gratiam Chriſti Domini (ex cuius latere fluunt, & ex cuius paſsione virtutem, atque efficaciā ſortiūtur) nobis conferunt, ſalutem efficiunt, animam Deo coniungunt, & gloriam æternæ patriæ promerentur. Si verò ſuſcipiantur indignè, perpetuam ex illis mortem, & damnationem nobiſmèt comparamus. Ea propter Parochus in ipſorum adminiſtratione docebit populum, qua ſumma animi deuotione, corde contrito, mente pura, ac humili reuerentia ad ſacramentorum receptionem accedere debeant, vt ſacramentorum cæleſtes diuitias promereantur: neque iudicium ſibi manducent, & bibant. Nec permittat quemquam accedere ad illa ſuſcipienda, niſi exteriori habitu, & veſtium modeſtia debitam venerationem præſeferat; quod in mulieribus præſertim obſeruet: vt illæ veſtitu humili, & ornamentis dimiſsis Chriſti paupertatem, & humilitatem imitentur. *Veſtium humilitas in ſacramentorum receptione.*

§. 2. Baptiſmi, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis ſacramenta miniſtraturus Parochus in primis caueat, ne aliquo inuolutus peccato mortali, officio hoc fungatur; ne dum aliorum ſaluti ſtudet, ipſe animæ ſuæ damnationem incurrat. Igitur confeſsione præmiſſa, maxima cum reuerentia, & timore

Domini,

Qua mẽtis diſpoſitione Parochus ſacramẽta miniſtrare habeat.

Domini, illa miniſtret; & tunc memoria sẽper habeat, quod ad Sacramenti perfectionẽ materia debita, forma, ac intentio miniſtri requiritur. Et propterea caueat, ne in illis aliquem committat errorem: nihil addat, vel minuat; ſed in omnibus propria vtatur materia, formã, ab Eccleſia ſtatutam obſeruet, rectam, ac certam habeat in eo Sacramento, quod miniſtrat, intentionem. Formas verborum ita pronunciet, vt à circunſtantibus audiatur: præterquam Euchariſtiæ formam; quæ ſecretò eſt proferenda. Ita etiam exteriores actus, rituſque componat, vt præſentes ad deuotionem inflammet.

Rituali Romano à Curatis vtendum.

§. 3. Præcipimus Parochis omnibus, & animarum curam gerentibus, ac omninò obſeruari volumus, vt in ſacramentorum, ſacramentalium, & ſacrorum adminiſtratione habeant præ manibus nouum Rituale Romanũ iuſſu Sanctiſs. D. Pauli V. excuſum: & pro qualibet Parochiali Eccleſia, vnum ſaltem ex illis, qui adhuc non habent, emant: cuius ordinem, ritum, & modum in omnibus ſeruent. Sub penis arbitrio noſtro infligendis.

Sacramenta gratis adminiſtranda.

§. 4. Parochus pro ſacramentorum adminiſtratione nihil exigat, & quod gratis accepit, gratis adminiſtret. Si quid verò ſpontè fuerit illi oblatum, accipiat, modeſtè tamen, vt auaritiæ, & auiditatis ſuſpicione prorſus careat: memor tunc pro benefactoribus exorare Dominum noſtrum.

Sollicitudo Parochi in Sacramentis cõferendis.

§. 5. Parochus vel etiam noctis tempore, quando opus fuerit, ad adminiſtranda populo ſuo ſacramenta vocatus, alacer & ſine mora promptus accurrat: vtſi (exempli cauſa) ad ſuæ Parochiæ infirmos ſacro oleo inungendos vocetur, ſtatim, ac libens accedat, munerìque ſuo ſatisfaciat. Nam ſi eius culpa, vel negligentia quemquam ſine huius ſacramẽti ſuffragio mori contigerit, ipſe à Nobis Parochus ſeuerè punietur. Quod ipſum de confeſsionibus audiendis, Euchariſtia conferenda, & animarum commendatione, pueriſque baptizandis edicimus.

§ 6. In

§. 6. In ſacramentorũ adminiſtratione ſuperpelliceo, & ſtola ſemper vtatur Parochus: & ritus, ac cæremonias ab Eccleſia ſãcitas inuiolabiliter ſeruet tũ in exorciſmis, & Cathechiſmis baptiſmalibus, tùm in reliquorum ſacramentorum adminiſtratione, & ad illa pertinentibus quibuſcunque: vt Sanctiſs. Sacramẽta ad ſaluandas animas inſtituta purè, ſanctè, ac religiosè tractentur. Superpelliceo, & ſtola utatur ſacramenta miniſtrans.

§. 7. Locorum, in quibus ſacramenta, & ſacramentalia conſeruantur, claues diligentiſsimè, ac tuto loco à Parocho cuſtodiantur, quas ipſe alijs ſeruandas non concedat. Huiuſmodi verò claues tales ſint, quæ facilè vitiari non poſsint. Loci ſacramẽtorum claues à quibus ſeruandæ.

§. 8. Quàm grauiſsimum committatur ſcelus, ſacramenta ad ſalutem humani generis à Chriſto Domino præſtita ad alios vſos, & quod valdè dolendum eſt, etiam profanos, & quandòque ſacrilegos conuertendo, omnes intelligunt. Vt ergò qui timorem Domini non habent, propoſitis pœnis reſipiſcant: Parochis omnibus, & alijs quibuſcunque ſub Excommunicationis latæ ſententiæ pœna, & carceris arbitrio noſtro mandamus, vt maximè caueant, ne ſacramentis abutantur, vel alicui abutenda concedant: etiam ſub prætextu medicinæ, vel maleficij curandi cauſa; ſed illa debitè cuſtodiant, conſeruent, ac tueantur: ne propter ſacramentorum irreuerentiam, ira Dei ſæuiat in miniſtros. Excõmunicatio latæ ſentẽtiæ in abutẽtes ſacramentis.

§ 9. Nullus demùm Sacerdos ſecularis, vel Regularis in aliena Parochia, Sacramẽta, præſertim verò Communionis ad infirmos, & Extremæ Vnctionis, aut Sacramentalia miniſtrare audeat, licentia priùs à loci Parocho non obtenta; Niſi tamen Parochialis Eccleſia Rectore careat; vel adeò longè ab Eccleſia Rector abſit, vt abſque infirmantium periculo, licentia requiri non poſsit. In aliena Parochia nullus ſacramenta miniſtret abſque lic.

De Sacramento Baptiſmi.
CAP. IV.

Baptiſmi neceſſitas.

§. 1. CVm omnium Sacramentorum nouæ legis primum, & apprimè neceſſarium ſit Baptiſmus, quo iuſtificati ab omni peccatorum ſorde, in filios Dei renaſcimur, & cohæredes Chriſti in vitam æternam conſtituimur: intelligant Parochi, ad quos Sacramenti huius adminiſtratio propriè ſpectat, quàm adhibere teneantur diligentiam: ne vllus vnquam paruulorum, abſentia, vel negligentia Curati; abſque hoc tàm neceſſariò Sacramento moriatur. Qui ſi aliquando (quod Deus auertat) deliquerint; ſciant ſe acerrimè à nobis puniendos.

Peccati originalis doctrina, Seſſ. 5.

§ 2. Curent in primis Parochi de peccato Originali quod hoc Baptiſmatis Sacramento deletur, veram ab omnibus retineri fidem iuxta ea, quæ credenda proponit Eccleſia, & Sacri Conc. Trid. decretis ſunt ſancita.

Cautio in baptizando.

§ 3. Cum autem hoc Sacramentum non ſit iterabile: & ab eo ſalus noſtra præſertim proueniat: ne Parochi in ſacramento hoc adminiſtrando, aliquid erroris in materia, vel forma ipſius committant; præ manibus ſemper habeant (vt aliàs diximus) Rituale Romanum nouum, cuius ordinem, & modum in omnibus ſeruent.

Obſtetrices ſciã Baptiſmi formam, atque materiam.

§. 4. Obſtetrices omnes in ſua Parochia exiſtentes ſaltem ſemel in anno Curati aduocent,& ab eis diligenter inquirant, an Baptiſmi materiam, & formam norint: & ſi quas errantes repererint, quid in futurum, neceſsitatis caſu eueniente, ſeruare debeant, paternè doceant. Et aliquibus interpolatis diebus, an id didicerint, recognoſcant, ne qua illis in ſacramenti huius miniſterio negligentia adſcribatur.

§. 5. Do-

§. 5. Domi nullus baptizetur, præterquàm in neceſſitatis caſu, ob mortis inſtantis periculum; & vbi certum fuerit ab obſtetrice, vel alio fuiſſe baptizatũ puerum, non eſt amplius baptizandus: Eccleſiæ tamen (ſi ſuperuixerit) præſentari, & illi ſolemnes aliæ cæremoniæ inſufflationis, exorciſmi, Vnctionis (ſacra ablutione, & Verborũ forma tantùm omiſſis) adhiberi debent. Veruntamen quotieſcunque aliquis ab illis baptizatus fuerit, exquirat Parochus quibus verbis, quauè materia vſæ sũt: vt intelligat, an ritè Puer ſit baptizatus. Quod ſi aliquo pacto incertum fuerit, an infans ſit baptizatus, tunc ſub conditione, Si non es baptizatus, &c. baptizetur. Eadem forma ſeruabitur in baptizandis infantibus expoſitis quocunque loco repertis, vbi an illi ſint baptizati, notitia certa haberi non poterit.

Quando, & quomodo domi puer baptizandus.

Pueri expoſiti quomodo baptizandi.

§. 6. Sacerdos autem baptiſmi formam memoria teneat: cum difficilè ſit infantuli caput abluere, & librum reſpicere. In hoc autem, in quo tota huius ſacramenti vis conſiſtit, ſummum adhibeat ſtudium, vt formam in verborum prolatione, & ablutione ad vnguem ſeruet.

Baptiſmi forma memoriter habenda.

§. 7. Curet omni diligentia Parochus, vt infantes quàmprimum ad Eccleſiam pro ſalutari hoc ſacramento ſuſcipiendo deferantur, religioſam in Deum pietate, quocunque ornatu, & pompa remotis, vt vanitatum huius ſeculi renunciatio, quæ in baptiſmo fit, verbo, & opere compleatur.

Pueri ad baptiſmum deferendi quamprimum, & quomodo.

§. 8. Vnus tantùm ſiue vir, ſiue mulier, iuxta Concilij Tridentini præſcriptum, vel ad ſummum vnus, & vna baptizatum, de fonte ſuſcipiant: quos doceat Parochus, quæ contrahatur inter tenentes, baptizatum, baptizatiq; patrem, & matrem, cognatio ſpiritualis, impediens inter eos matrimonium, dirimenſq; poſtea contractum. Et antequam ad baptiſmum conferendum Parochus accedat, qui illi ſint, intelligat. Et vbi duo fuerint, non vnus tantùm infantem ſuſcipiat, & alter

Seſſ. 24 cap. 2 reformat.

Patrini, qui & quot eligendi.

tangat: ſed ambo infantem, decenti quo poterunt modo ſuſcipiant, & leuent. Quod ſi præter hos deſignatos, alij infantem quouis modo tangant, ex Concilij Tridentini ſtatuto, cognationem ſpiritualem ob id nullo pacto contrahant: ſicque à Parocho doceantur.

Vbi ſupra.

§. 9. Qui confirmationis ſacramentum nondum acceperit, & qui illo anno Paſchali tempore ſacra communione refectus non fuerit: Et qui Orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, Apoſtolorũ Symbolum, & præcepta legis ignorant: Item nec pueri quattuordecim annis minores: Nec cuiuſuis Ordinis Religioſi, abſq; ſuorum Superiorum expreſſa licentia: ad leuandum de ſacro fonte infantem non admittantur. Cum enim ſuſcipientes paruulos de fonte, ad inſtruendum eos in fide, quando opus fuerit, teneantur, non videntur præfati huic muneri ſuo ſatisfacere poſſe.

Nullus ſacerdos baptizet alterius Parochiæ infantes.

§ 10. Et quoniam valde rationabiliter ſunt diſtinctæ Parochiæ, vt vnuſquiſque ouium ſibi cõmiſſarum rationem reddere teneatur, & valeat: ſtatuimus, quod nullus Sacerdos in Eccleſia, præter proprium infantis Parochum, ſine eius, vel noſtra licentia baptizare audeat: quod & de reliquis ſacramentis aliàs monemus.

Sacerdos qua diſpoſitione baptizet.

§ 11. Sacerdos autem baptizaturus, ſicut omni intrinſecus peccato, & macula carere debet, ſic etiam externa religione, deuotione, & cultu, hoc ſuum officium agat; vt clara voce, diſtinctè, & non curſim, ſed intima animi pietate, & exteriori modeſtia, atque grauitate, quæ agenda, quæ legenda, aut dicenda ſunt exequatur.

Pueri per annũ in cunabulis extra lectum iaceant.

§. 12. Parentibus, & Nutricibus toties, quoties baptizat, præcipiat Parochus, ſub excommunicationis interminatione, vt ad euitãda oppreſſionis, vel ſuffocationis pericula, filios infantes, ante primum illorum ætatis completum annum, in lecto ſecum non habeant. Qui ſi non obediant, Nobis ſignificet: & illos interea non abſoluat.

§. 13. Vt

§. 13. Vt paruuli poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerint, actiones eorum, & vitam imitari conentur, quorum ſe patrocinio, nominis impoſitione, ac ſimilitudine in baptiſmo commendatos intelligunt: Parochis omnibus diſtrictè præcipiendo mandamus, ne in futurum infantibus; gentilium, vel paganorum nomina imponi permittant: ſed eorum ſanctorum tantùm, qui ab Eccleſia venerantur: quæ nomina nunquam amplius ipſis immutentur.

Nomina baptizatis non paganorum, ſed ſanctorum imponantur.

§. 14. Vt à Sacramento hoc, quod purè, ac ſanctè tractandum eſt, omnis ſuperſtitionis occaſio, & ſuſpicio auferatur, non permittant Parochi ſal benedictum, vel candelas ad baptiſmum adhibitas, vel linteola, aut bõbicem, quo vnctio ſacri Chriſmatis extergitur, domum referri: ſed hæc omnia in Eccleſia apud ſe retineant, vel comburant.

Sal, candelæ, linteola, non referantur.

§.15. Fons baptiſmalis conſtruatur ex marmore, ſeu ſaltem ex ſolido lapide, & vbi ex lapide haberi non poteſt, aqua baptiſmalis in vaſe æreo congruæ magnitudinis, à parte interiori ſtanno illito, & muro cohærenti conſeruetur. Tegmen huius vaſis ſic clauſum conſiſtat, vt à puluere, & immunditijs aquam tueatur. Et vt vitetur aquæ baptiſmalis infectio ob muri humiditatem, fons baptiſmalis non conſtruatur in Eccleſiæ pariete: & ſicubi fuerit in pariete conſtructum, quàmprimùm indè amoueatur. Sit autem à ſolo adeò altè eleuatus, vt commodè ab illo aqua deſumi poſſit. Cuius vaſis clauis tuto loco à Parocho conſeruetur.

Fõs baptiſmalis quomodo habendus.

§.16. Propè fontem, ſi non extat, conſtruatur ſacrariũ item ex marmore, vel alio ſolido lapide, adeò cõpetenter à terra eleuatum, vt ſuper illud commodè baptizari poſſit. Cuius ſacrarij os in principio latè pateat, ſed deindè paulatim reſtringatur, vt paruum tandem habeat foramen, per quod aqua in ciſternulam ſub eo effoſſam dilabatur. Et ſupra hoc ſacrarium infantes baptizentur,

Sacrarium pro baptiſmo.

vt

uel vt ab ipſorum capitibus aqua baptiſmalis in ſacrarium fluat. Vel in baptizando, ſubmittatur capiti aliquod vas portatile, in quod aqua recipiatur, & ex quo in ſacrarium demittatur. Cuius ſacrarij os tabulis nuceis, peſſulo, & ſera, firmè munitum, nunquam aperiatur, niſi quando pro ipſius vſu oportuerit. Et clauis à Parocho diligenter ſeruetur, qui ſtudium adhibeat, ne profana, & immunda in illud proijciantur.

Armariũ pro baptiſmo.

§.17. Propè eundem fontem conſtruatur Armarium in pariete, vel columna congruæ magnitudinis, intrinſecus tabulis decenter partitum: exterius ornatum, & pijs imaginibus depictum, præſertim D. Ioannis Chriſtum baptizantis: & ab omni humiditate ſeruatum; ſeris itẽ, & peſſulo, & claui à Parocho cuſtodienda obfirmatum. In quo armario Sacra Chriſmatis, & Cathecumenorum olea conſeruentur: cum libro Ritualis, cæteriſq; omnibus ad baptiſmi vſum neceſſarijs.

De ſacris oleis ab Epiſc. accipiendis.

§.18. Cœnæ Domini ſacro ipſo die Parochus mittat aliquem Clericum, & ſi fieri poteſt, ſacris Ordinibus initiatum ad noſtrã Cathedralem Eccleſiã pro ſacratis nouis oleis recipiendis Qui pro ſacris oleis aſportãdis ſecũ afferat vaſa illa ad continuam ſacrorum oleorum conſeruationem in Rituali deſcripta, vacua, munda, & benè abſterſa, & clauſa Qui recepta olea, reuerẽter in capſula ad id conſtructa, & claui munita, deferat.

Et in die Sabbathi Sãcti inter fontium benedictionẽ, conſecrata olea miſceantur, vel ſequenti die, ſi loci diſtantia id requirat.

Aqua autem veteri non amplius in futurum vtatur Parochus; ſed eam ipſo die, ante fontium renouationẽ, in ſacrarium demittat.

§.19. Qui ſacrorum oleorum diſtributioni præeſt, in libro ad hoc ſignato olea recipientiũ nomina, & quo die, deſcribat: & à quo miſſi, & pro qua Eccleſia. Recipiens verò iuret ſe ea non alteri traditurũ. Nullus ex Diœceſi

noſtra

noſtra à quouis alio, quàm à Nobis, olea ſacra recipiat. Si quis autẽ in Baptiſmo, vel Extrema Vnctione vſus fuerit veteribus oleis, pœna carceris, & alijs pro noſtro arbitrio punietur. Receptis itaque nouis oleis vetera cum bombice comburat: & cineres in ſacrarium deijciat. Vetera olea comburantur.

De Sacramento Confirmationis.
CAP. V.

§. 1. HVius Sacramenti quãta ſit virtus, populum ſibi commiſſum Parochus tunc maximè doceat, quando pueros confirmandi tempus inſtabit. Quod videlicet Dei fideles poſt baptiſmum, fidei ſignaculo in fronte per ſacram Vnctionem ſuſcepto, ſpiritus ſancti gratia muniuntur ad confitendum Chriſti nomẽ coram hominibus, vt Chriſtus illos profiteatur ſuos coram Patre cœleſti. Ac qui in militiam Chriſti per baptiſmum nomen dederunt, & aſcripti ſunt: hanc eandem per cõfirmationem profitentur: & ad bellum Domini contra Crucis inimicos armantur; vt intrepidè Diaboli malignis ſuggeſtionibus, & inſidijs reſiſtere, & Dei beneplacitis promptiùs obtẽperare poſſint. Qua ſacra Vnctione licèt caro ſignetur in fronte, anima tamen intus conſecratur, atque mens munitur, ad colluctandum cum ſpiritualibus nequitijs. Cõfirmationis virtus.

§. 2. Itaque aliquot ante diebus, quàm Epiſcopus, (qui ſolus huius ſacramenti eſt miniſter) hoc ſacramentum ſit collaturus, diligenter inquirat Parochus, Qui in ipſius cura ætate idonei reperiantur ad ſacramentum hoc ſuſcipiendum; & illos per familias, diſtinctè notet, ac moneat, vt pridie illius diei, quo erunt confirmandi, caput lauent, & mundent, capilloſq; tondeant. Et eos de Sacramenti huius effectibus, & gratijs, ac de modo ſuſcipiendi inſtruat, & moneat. Ante cõfirmationẽ, monita pro cõfirmandis

§. 3. Quod

Confirmatio non iteranda.

§. 3. Quòd videlicet ſacramentum hoc Confirmationis imprimit indelebilem in anima characterem, ſignum ſcilicet à Deo animæ in huius ſacramenti ſuſceptione impreſſum, perpetuòque manens: vt propterea ſacramentum hoc iterari non poſſit. Et ideò caueant omnes, qui ſe confirmatos ſciunt, ne ad ſacramentum hoc denuò ſumendum accedant: nam præterquam quod grauiter peccarent: ſeuerè etiam à Nobis punirentur.

Quos Patrinos in confirmatione eſſe nō deceat.

§. 4. Quòd nullus excommunicatus, vel alia Cenſura Eccleſiaſtica innodatus, vel lætali peccato irretitus, vel adhuc non Cōfirmatus, vel qui Orationē Dominicā Salutationē Angelicā, Apoſtolorū Symbolū, & decem legis præcepta ignoret, audeat fieri in Cōfirmatione Patrinus. Et Patrinos inſtruat, quomodo confirmandos ante Epiſcopū in brachijs dextris tenere debent. Et quod adulti antequā Sacramentū hoc ſuſcipiant, ſi mortali ſentiūt ſe obnoxios culpę, prius peccata ſua cōfiteātur: ne & ſacramenti gratiā deperdant, & graue ſacrilegium admittāt.

Adulti confirmādi prius cōfiteantur.

Cognatio ſpiritualis in chriſmate contracta.

§. 5. Moneat inſuper Parochus, quòd Sacramento iſto, ſicut in Baptiſmo, affinitas contrahitur ſpiritualis inter confirmatos, eorūq; parentes, & ſuſceptores ipſos impediens ad matrimonium inter ſe contrahendum, & & dirimens poſtea contractum. Et propterea vir vxorē, Vxor virum, nec parentes proprios filios in Confirmatione tenere poſſunt; aliàs ſiquidem inter eos cognationis ſpiritualis oriretur impedimentum.

Cognatio autē hæc ſpiritualis non eſt temerè cōtrahenda, ob animarum periculum, quod euidenter imminet, ſi cognatio negligatur. Ideòq; eligant filiorū ſuorum patrinos bonæ exiſtimationis, Deum timentes, qui poſſint Confirmatos, conſilio, auxiliòq; iuuare, & in viā Domini, mandatorùmq; eius obſeruationem dirigere.

Confirmationis liber.

§. 6. In ſingulis demùm Parochijs, liber ad hoc habeatur, in quo Confirmatorum, & Patrinorum nomina deſcribantur: ſicut præcipitur de baptizatis.

De

De Sacramento Pœnitentiæ.
CAP. VI.

PRetioſiſſimi ſui ſanguinis Chriſtus efficaciam in Sacramentis poſuit: vt illa certa eſſent, & præſtantiſſima animarum noſtrarum medicamenta, contra peccatum ſemper nobis parata. Si quidem per baptiſmum Originali, & actuali quacunque macula liberati in nouam creaturam renaſcimur; in filios Dei regenerati. Confirmatione augemur gratia, & roboramur in fide. Euchariſtia diuino cibo nutrimur. Et ſiquando in ſpiritualem animæ ægritudinem per peccatum relabimur, per pœnitentiæ ſacramentum reparamur. Ea igitur huius ſacramenti pœnitentiæ neceſſitas tanta eſt, vt totiès peccata confiteri oporteat, quotiès poſt baptiſmum læthaliter peccantes Dei miſericordiam iterum conſequi volumus, ne damnemur. Ex quo curam animarum gerentes cognoſcere poterunt, quantam in illius adminiſtratione diligentiam adhibere teneantur; qua inſuper prudentia, bonitate, ac ſcientia pollere debeant, vt peccata ſcrutari, & ex diuerſis peccatorum generibus, quæ grauia, quæ leuia ſint pro cuiuſque hominis conditione dignoſcere, vt rectum iudicium iudicare poſſint; illa ſpirituali ægroto applicando remedia, quæ ad illius animam ſanandam; & contra morbi vim muniendam magis conducunt. Pœnitētiæ neceſſitas.

§. 2. Confeſſarius, vbi fidelium confeſſiones audire debet, videat primùm, ne in ſacramenti huius adminiſtratione, turpi aliqua cupiditate, aut vana curioſitate apud Deum notetur. Maximè autem (vt ſupra iam propoſuimus, & hic denuò pro rei magnitudine adnotamus) quantum in ſe eſt, caueat, ne quid prætermittat eorum, quæ ad integram ſacramenti huius Pœniten- Confeſſ[illegible] diſpoſitio.

tiæ formam pertinent; ne dum alios abſoluere ſtudet, ſe cum illis inuoluat.

Pœnitētis præparatio.

§. 3. Doceat Parochus populum ſuum, quod nemo ſine debita præparatione ad confeſſionem accedere debet: Quod confeſſio debet eſſe humilis, vt interiùs ſe pœnitens miſerum, & infirmum fateatur: exteriùs humili veſtium habitu, flexis genibus, capite diſcooperto, & fidenti ſpe veniæ conſequendæ, abſque rerum impertinentium admixtione, ſine mendacio, peccata ſua prodat: omnino paratus pœnitentiam ſibi à confeſſario iniungendam acceptare, & quantocius adimplere.

Locus, & habitus confeſſionem audiētis.

§. 4. Nullus Sacerdos extra Eccleſiam, confeſſiones quorumcumque, præſertim mulierum, niſi languentium, audire præſumat. Et vbi Sacramentum hoc in Eccleſia miniſtrat, Cotta, & Stola decenti indutus in Confeſſionali ligneo ad præſcriptam à Nobis inferiùs formam aptato ſedeat: in quo & ipſe, & pœnitens ab adſtantibus conſpiciatur. Caueat autem ne in confitentium præcipuè mulierum faciem oculos inijciat.

Cautiones cōfeſſarij.

§. 5. Confeſſarij omnes hæc infraſcripta aduertant, An pœnitens ſit ſuæ iuriſdictioni ſubiectus, An excommunicatus, An crimen aliquod Sedi Apoſtolicæ, vel Epiſcopo reſeruatum admiſerit, An propoſitum à peccatis abſtinendi habeat; An ex aliqua domeſtica occaſione, & conuerſatione ad peccatum prouocetur, quam euitare nolit. In quibus caſibus non eſt vlterius in Confeſſione progrediendum: ſed humaniter, à ſe pœnitentem dimittant. Quod ipſum præſtabunt, ſi animaduertant debitam in peccatorum ſuorum inueſtigatione eum non adhibuiſſe diligentiam, peccata, quæ commiſit, mortalia in memoriam reuocando: neque in deteſtandis illis habere dolorem; & tunc maiori, qua poterit, charitate hortetur eum, vt ad recogitanda peccata aliquid velit temporis impertiri; & poſtmodum reuertatur ad confitendum.

§. 6. Sacerdos confeſſionem auditurus pœnitentem benignè recipiat: & maximè hortetur, vt peccata omnia integrè confiteri non vereatur: & ſtultam omninò reijciat verecundiam; quam Diabolus humani generis antiquus hoſtis, dum ad peccandum inducit, remouet à peccatore; vbi autem ille reconciliari Deo per pœnitentiam optat, tunc ſubmotam verecundiam illi reſtituere conatur; præſertim pueris, & mulieribus, quæ ideo multotiès peccata confiteri non audent. Verecundia in cōfeſſione uitanda.

§. 7. Animaduertat inſuper ne confitentes curioſis, & inutilibus interrogationibus detineat; & præſertim ne pueri, & puellæ, alijque rudes de eo, quod ignorant, imprudenter interrogati potius inſtruantur: neceſſarias tamen, & oportunas interrogationes non prætermittat. Pœnitentes, niſi poſt integram confeſſionem auditam non reprehendat; & cum aliquod graue, aut enorme peccatum audierit, ſigna admirationis, deteſtationis, vel horroris non oſtendat: ſed ac ſi non audierit, in confeſſionis finem diſſimulet; tunc verò vinum, & oleum ſuper ſauciati vulnera infundat. Confeſſarij prudentia.

§. 8. Diligenter intelligat, & inquirat Confeſſarius peccati circunſtantias valdè aggrauantes, & eas vel maximè, quæ peccati ſpeciem mutant, vt propterea inter lepram, & lepram rectum iudicium ferens in pœnitentiæ impoſitione, quod magis ſit expediens, iniungat. Peccati circūſtantiæ examinandæ.

§. 9. Vbi autem pœnitentes ſæpè ſæpius eandem incurriſſe peccati ſpeciem intellexerit, varia ad illorum præſeruationem (ne reincidant) curet exhibere remedia: quod videlicet peccandi auferatur occaſio: quod ſemel in menſe per annum, vel ſæpius confiteantur, atque communicent: quod quotieſcunque idipſum peccauerint, certam eleemoſynam, diſciplinam, peregrinationem, &c. faciant. In recidiuātes

§. 10. Aduertat præterea Confeſſarius, an aliqnando ad præcedentis Confeſſionis iterationem teneantur Quando confeſſio iterāda.

pœnitens: eo videlicet quod priori Confeſſione propoſitum vitandi peccata non habuerit, vel prudens, & ſciens peccatum mortale, vel aliquam circunſtantiam neceſſariò confitendam omiſerit: aut ſi doloſè confeſſionem diuiſit, ob verecundiam, malitiam, vel hypocriſim vni Sacerdoti partem, alteram alteri ſuorum peccatorum confitendo: aut ſi excommunicatus, vel excommunicato, qui abſoluere non poterat, confeſſus eſt.

Pœnitentia competens iniungenda.

§. 11. A pœnitentijs grauioribus, & quas eſt veriſimile non eſſe adimplendas, imponendis, abſtineat Confeſſarius omninò; nec vnquàm peccato occulto, quantùmuis graui, manifeſtam, aut publicam pœnitentiam imponat: nec grauioribus delictis iniungat pœnitentias leues.

De pecuniarijs pœnitētijs

§. 12. Pœnitentias pecuniarias rarò imponat; Et tūc illas ſibi ipſi, vel Eccleſiæ ſuæ non applicet; ſed locis alijs & pijs tantùm operibus. Neque harum eleemoſynarum diſtributionem ſibi ipſi committi demandet: neq; commiſſam recipiat. Quod ſi aliquando iudicauerit alicuius peccata eleemoſynis fore redimenda: tunc illarum diſtributionem pœnitentis arbitrio relinquat. Vt plurimum autem ieiuniorum, peregrinationum, orationum, pœnitentias pro peccatis imponat. Si quem verò à pœnitente aliquid petijſſe conſtiterit pro abſolutionis beneficio: ab officio audiendi confeſſiones perpetuò ſuſpendimus. Quod liberè tamen, & ex charitate à pœnitentibus ſibi collatum fuerit, recipere poſſit.

De impoſitione miſſarum.

§. 13. Licet tutius ſit conſilium ab impoſitione Miſſarum celebrandarum pro pœnitentia contineri; vbi tamen Sacerdoti viſum fuerit aliquas pœnitenti Miſſas celebrandas iniungere: illius voluntati prorſus remittat, cui illas Sacerdoti dicendas demandet, ne auaritiæ potius, quàm charitati ſtudere Confeſſarius videatur.

§. 14. Quandòque, licèt Confeſſarij pœnitentes abſoluere poſſint, expedit tamen, vt vel abſolutio diffe-

ratur,

ratur, vel negetur. De infraſcriptis, puta, abſolutio facile non eſt impendenda. Iis videlicet, qui aliena bona retinent, & reſtituendi facultatem habent, donec ſatisfaciant.

Quando abſolutio ſit negan da, vel diffe- renda.

Qui litteris monitorialibus pro deperditis rebus ad finem reuelandi à Sede Apoſtolica, vel à Nobis, aut Vicario noſtro conceſsis non paruerint, vel eas quouis modo publicari, exequi, aut recipi impedierint.

Fœneratoribus, & contractus iniquos exercentibus; niſi poſt debitam ſatisfactionem.

Qui in Iudicio falſum teſtimonium in alterius detrimentum dixerit, damno prius non emendato.

Qui alterius famam, aut vitam dicto, vel facto læſerit, donec reſarciat damnum in eo, quod poteſt.

Qui iniurias, inimicitias, aut vindictam condonare renuit.

Concubinarijs, niſi prius mulierum ſecum mœcātium dimiſſa conſuetudine: & præſertim vbi pluriès id præſtare promiſerint, nec ſeruauerint.

Vxoribus à proprijs viris: item viris à ſuis vxoribus, ſua culpa ſeorſum habitantibus.

Proximo iniurias remiſiſſe aſſerentibus, illum tamen alloqui recuſantibus; vnde ſcandalum euenire ſolet.

§. 15. Peccatores occultos, quos iuſta de cauſa abſoluere Sacerdos nequit, ita à ſe circumſpectè dimittat, vt adſtantibus hoc non innoteſcat, ne confuſi diſcedant, ſed æquiori animo repulſam tolerantes, & peccatorum ſuorum grauitatem horreſcant, & maximo cordis dolore ea deflentes, veniam poſtmodum impetrare procurent.

Non abſoluti circumſpectè dimittendi.

§. 16. Caueat autem Sacerdos omninò, ne verbo, aut ſigno, ſiue alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem. Sed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſq; vlla expreſſione perſonæ cautè requirat. Qui enim peccatū in pœnitentiali iudicio ſibi proditum præſumpſe-

Peccata in cōfeſſione audita, nullo pacto prodenda.

ſumpſerit reuelare, excommunicationem latæ ſententiæ, cuius abſolutionem, extra mortis articulum, Nobis reſeruamus, incurrat. Et præterquàm quod graue ſacrilegium committit, non ſolùm à ſacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuò pœnitentiam in arctum carcerem detrudendum.

Admiſſi in Ciuitate ſunt admiſſi in tota Diœceſi, ſed non è contra, & qúo.

§. 17. Statuimus præterea, & declaramus, quòd admiſſi ad curam animarum in Noſtra Senogallienſi Ciuitate cenſendi ſunt expoſiti ad confeſſiones audiendas per totam noſtram Diœceſim, de licentia tamen proprij Parochi vniuſcuiuſque loci. Qui verò ad curam animarum extra Ciuitatem admituntur; non cenſeantur expoſiti ad Confeſſiones in Ciuitate abſque noſtra ſpeciali facultate; ſed per reliquam diœceſim (habita proprij Parochi licentia) confeſſiones audire poſſint; Niſi in collatione Beneficij limitetur à Nobis hæc facultas pro eo tantùm loco, vbi beneficium, & curam exercent.

reſi gnante beneficium.

§. 18. Declaramus etiam, atque ſancimus, quòd animarum Curatus, qui beneficium reſignauerit, renunciauerit, aut illo quouis alio modo ſit priuatus; ad audiendas confeſſiones deinceps non cenſeatur expoſitus; niſi aliàs ad tempus, vel ad libitum admittatur.

Facultas confitendi in ſcriptis oſtendenda.

§. 19. Nullus item Sacerdos ſecularis, vel Regularis, aut etiam loci Prædicator, à quocunque Vicario noſtro Foraneo, vel ab Eccleſiæ Curato, admittatur ad audiendas confeſſiones quorumcunq; niſi illis oſtendat facultatem à Nobis in ſcriptis obtentam audiendi confeſſiones; & manus noſtra recognoſcatur.

Liber admiſſorum ad audiendas confeſſiones apud Vicarios foraneos.

§. 20. Ea propter quilibet Vicarius Foraneus habeat apud ſe librum, in quo adnotentur omnes, qui à Nobis pro locis ſibi demandatis expoſiti ſunt ad confeſſiones; & pro quanto tempore ſint expoſiti. Et in exordio Quadrageſimæ per Concionatorem, eorum nomina populo denunciet. Vbi autem Vicarius Foraneus non eſt, hoc

idem Parochus exequatur. Item & ſæpius infra annum aduertant noſtri Vicarij foranei, atque Parochi, ne Confeſſarij à nobis non admiſſi, & ab illis non recogniti confeſſiones audiant. Quod ſi Vicarius, aut Curatus ſecus egerit, punietur à Nobis ſeuerè. Qui verò in animarum periculum temerè confeſſiones audire præſumpſerit à Nobis non expoſitus, ſi Secularis fuerit pœna carceris, exilij, & etiam grauioribus pœnis arbitrio noſtro infligendis punietur; Si verò fuerit Regularis, in futurum ad audiendas in noſtra Diœceſi confeſſiones nullatenus admittetur; quod ſi fuerit Concionator, in ea nunquam prædicare deinceps poterit; & de ſuo exceſſu ſuis ſuperioribus denunciabitur peniendus.

§. 21. Quamobrem ſæpè doceat Parochus præſertim quadrageſimali tempore populum, illud Concil. Trid. decretum, Neminem videlicet poſſe abſque licentia Epiſcopi confeſſiones audire. Quod ſi aliquis Sacerdoti non habenti authoritatem peccata ſua confiteantur, confeſſio eſt nulla, & inualida. Et propterea quiſque diligentiam adhibeat, confeſſarium idoneum, & ab ordinario approbatum eligendi, à quo legitimè poſſit à peccatis abſolui.

A confeſſario non expoſito confeſſio eſt inualida.

§. 22. Et quoniam Innocentij III. conſtitutione generali Concilio edita ſancitum eſt teneri omnes vtriuſque ſexus Chriſti fideles, cum ad diſcretionis annos peruenerint, ſemel ſaltem in anno paſchali tempore, præmiſſa peccatorum confeſſione, Sanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere: idcirco Parochus inter Miſſarum ſolemnia in principio Quadrageſimæ, & poſtmodum ſæpè ſæpius moneat populum, ne confeſſionem in poſtremos quadrageſimæ dies, & ſanctam maiorem hebdomadam differant: cum difficile ſit fidelium animabus peccatorum immanitate depreſſis, tunc ſubuenire, quando ſacerdotes continua diuinorum officiorum functione occupati, ab audiendis confeſſionibus præpediuntur:

Confitendum, & communicãdum ſaltem ſemel in anno.

tur:

tur: & frequenti tunc confitentium concurſu defatigati, muneri ſuo plenè ſatisfacere non poſſunt.

Populum autem ſæpè moneat, vt ad minus ter in anno ſacra communione quiſque refici ſtudeat. Licèt enim Eccleſiæ præcepto, ſemel tantùm in anno Paſchali tempore à Dominica Palmarum vſque ad Reſurrectionis Domini noſtri octauam diem ad ſumendum Euchariſtiæ ſacramentum ſit obligatus: qui tamen dignè ſæpius communicauerit, vberiorem promerebitur gratiam, & à Diaboli laqueis tutior euadet.

Pęnæ in nõ cõfitentes, & cõmunicãtes ſaltem ſemel in anno.

§. 23. Qui verò Paſchali tempore Euchariſtiæ ſacramentum non ſuſceperit, is viuens Eccleſiam ingredi prohibeatur: & mortuus Eccleſiaſtica ſepultura careat. Quod vt magis Chriſti fidelium mentibus inhæreat, Parochis omnibus huius conſtitutionis decreto mandamus, vt in prima Dominica Quadrageſimæ, quiſque in ſua Parochia capitulum, Omnis vtriuſque ſexus, inter Miſſarũ ſolemnia publicet. Quod eſt in Rituali Romano.

De caſibus Epiſcopo reſeruatis.

§. 24. Tandem præſenti decreto mandamus ſub pœna à felic. record. Clemente Octauo ſtatuta, quod nullus Sacerdos ſecularis, vel Regularis à Caſibus infraſcriptis (quorum nobis abſolutionem reſeruamus) pœnitentes abſoluere audeat, vel præſumat: abſque ſpeciali noſtra, aut Vicarij noſtri Generalis licentia: præter mortis articulum.

Parochi habeant coadiutores in hebdomada sãcta.

§. 25. Item hortamur Parochos, vt in hebdomada ſancta, & in alijs feſtiuitatibus, in quibus Populus magis ad confeſſiones accedit, vt aſſumant in auxilium ſacerdotes approbatos, qui confeſſiones audiant.

Et libros ab Eccleſia approbatos.

§. 26. Habeant Confeſſarij libros ab Eccleſia approbatos, quibus in caſibus conſcientiæ inſidentes, rectum, & ſanum conſilium capere poſſint; aliàs punientur arbitrio noſtro.

§. 27. Modus dandi abſolutionem pœnitentibus eſt in fine libri.

CASVS, QVORVM ABSOLVTIONEM Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Fr. Antonius Barberinus S. R. E. Presbyter Cardinalis S. Honufrij Epiſcopus Senogallienſis, et Comes ſibi reſeruauit.

1 Blaſphemia Hæreticalis poſt tertiam vicem, & alia quæcumq; Blaſphemia conſuetudinalis.

2 Sacramentorum Sacramentalium, & Sacrarum Reliquiarum abuſus, ad maleficia, vel ſortiligia cum inuocatione Dæmonum expreſſa, vel tacita.

3 Sacrilegium in ſacro loco per ſanguinis, aut ſeminis emiſſionem ex coitu, vel per tactus inhoneſtos cum ſacris Virginibus.

4 Inceſtuoſi ex affinitate quacunque in primo tantum gradu: ex conſanguinitate verò etiam in ſecundo.

5 Actus duo contra naturam, videlicet ſodomiticus cõſummatus, maſculi cum maſculo, aut maſculi cum fœmina, & beſtialitas.

6 Virgines vi deflorantes, aut rapientes.

7 Parentum percuſſores.

8 Homicidæ voluntarii, vel facientes abortum ex induſtria, aut filios ſuffocantes.

9 Qui poſt annum à die adeptæ hæreditatis teſtatorum voluntates factas ad pias cauſas non fuerint executi; Notarij de prædictis pijs voluntatibus rogati, qui illas per duos menſes à morte teſtantium, Eccleſiarum Rectoribus, & eorundem locorum piorum adminiſtratoribus, non notificauerint.

10 Notarij, vel proxenetæ, ſeù mediatores, qui vulgo

ſenſales dicuntur, vſurarios contractus, aut obligationes facientes.

11 Habentem rem carnalem cum Iudæis.

De Sacramento Euchariſtiæ. CAP. VII.

Euchariſtiæ præſtantia.

INter cætera noſtræ reparationis myſteria, Euchariſtiæ Sacramentum, gratia, & ſanctitate præcipuum obtinet locum; quo nedum Chriſti Domini vita, paſſio, mors, reſurrectio, atque gloria recenſetur, verùm & Deum ipſum pro nobis factum hominem, corporaliter, ac ſubſtantialiter ſuſcipientes, ſupernæ participes facti naturæ, diuino, ne dixerim Angelico cibo enutrimur, cæleſtis plenitudine gratiæ irrigati ſanctificamur, & inexpectatam perpetuæ beatitudinis vitam adoptamur. Sicut enim Chriſtus Dominus noſter, Dei filius manens perfectus Deus, in Incarnatione verus factus eſt homo: ita in hoc admirabili Sacramento ſubſtantia panis in verum Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini conuertitur in Chriſti verum ſanguinem, remanentibus ſolis ſine ſubiecto accidentibus. Et ſicut in Incarnatione facta eſt vera humanitatis vnio ad perſonam Verbi; ita in huius excellentiſſimi Sacramenti ſumptione fit myſtica fidelium vnio ad Chriſti Corpus: vt qui ipſum manducauerint, propter ipſum viuant, & illi ſint in ipſo, & Chriſtus in eis; cuius vita in æternum viuant;

Euchariſtia quam dignè tractanda.

§. 2. Sicut igitur ex omnibus ſacris miſterijs, quæ nobis diuinæ gratiæ inſtrumenta Saluator inſtituit, nullum poteſt cum Euchariſtiæ Sacramento comparari; cum in alijs virtute ſua Dominus operetur; in iſto autem ipſe fons, & author totius gratiæ contineatur; ita etiam nulla grauior alicuius ſceleris à Deo eſt metuenda pœna,

na, quàm ſi Sacramentum hoc minus religioſè tractetur, aut ſuſcipiatur.

§. 3. Itaque in primis edoceat Populum Parochus, Latriæ cultum, qui tantùm vero Deo debetur, huic Sanctiſſimo Sacramento Sanctitatis authorem, & fontem eſſentialiter continenti eſſe exhibendum: & ſub ſpeciebus panis, & vini verum Ieſu Chriſti Corpus, & ſanguinem cum diuinitate eſſe credendum, & adorandum.

Latriæ cultus illi debetur.

§. 4. Pro huius Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti conſeruatione, tabernaculum ligneum, vel alia nobiliori materia conſtructum habeatur, extrinſecus deauratum, vel aliàs decenter ornatum: ac benè clauſum: panno ſerico interiùs vndiq; coopertum: conopeo item ſerico, vel alio pro Eccleſiæ facultate, & loci dignitate decenter exterius contectum; Ita verò in altari collocatum, vt ex eo commodè pixis ſacramenti poſſit educi; ne ſuper Altare pedibus aſcendi ſit opus pro Euchariſtia aſſumenda. Huius tabernaculi clauis in loco tuto ſeruetur: non autem in eodem Altari, vel loco laicis communi, & noto. Altare autem, ſupra quod tabernaculum ſacramenti locatur, ita latè pateat, vt tabernaculum in eo commodè conſiſtere: & Sacerdos etiam ibi commodè celebrare poſſit.

Tabernaculũ pro conſeruatione Euchariſtiæ.

§. 5. Vaſa ſacrarum reliquiarum, vel ſacrorum oleorum Chriſmatis, cathecumenorum, & infirmorum in prædicto Sacramenti tabernaculo non collocentur: ſed alibi ſeorſum ab eo; cum enim diuerſum requirant à Sacramento cultum; ea ſimul cum Sacramento conſeruari non decet.

Nil aliud præter Sacramẽtum in hoc tabernaculo eſt ſeruandum.

§. 6. In Parochialibus Eccleſijs minoribus ante Sacramentum ardeat ſemper accenſa ſaltem vna lampas; in Collegiatis duæ; in Cathedrali verò noſtra tres. Et qui horum luminum conſeruationi præeſt, curam adhibeat, vt lampades congruè aptatæ, & à ſordibus

Lampades ante Sacramentum.

ſæpè emundatæ ardeant; alioquin à Nobis grauiter puniendus.

Pixis Pro Eucharistia ſeruanda.

§. 7. Sacramentum Euchariſtiæ intra tabernaculum conſeruetur in vna tantùm Pixide argentea deaurata, ad inſtar Calicis conſtructa; In qua quinque ſaltem particulæ ſemper ſint, octauo quoque die de alijs recentibus hoſtijs renouandæ.

Pixis pro communicandis infirmis.

§. 8. Habeat quælibet Parochialis Eccleſia alteram Pixidem argenteam ſimiliter deauratam, præfata paululum minorem in ſimilitudinem Calicis etiam constructam, qua pro deferendo ad infirmos Euchariſtiæ Sacramento vtatur Parochus. Et hæc cooperculo item argenteo claudatur; Duobus annulis hinc inde appoſitis, ex quibus corda ſerica adeò protenſa alligetur, vt collo ſacerdotis Pixidem deferentis imponi poſſit. Sacculus item ſericus, & quòad fieri poteſt ornatus, adhiberi poterit, in quo Pixis cum Sacramento ad infirmos longè ab Eccleſia diſtantes, per loca, & tempora aſpera deferri poſſit, vt ſi fortè Sacerdos cadat, Corpus tamen Domini in Pixide ſeruetur.

Tabernaculũ Sacramẽti pro proceſſionibus.

§. 9. Habeat præterea quælibet Parochialis Eccleſia aliud tabernaculum congruæ magnitudinis, argento, (vbi per facultates licuerit) vel alia æris materia deauratã confectum, Cryſtallo, vel vitro perlucido vndique clauſum ad vſum Euchariſtiæ in Proceſſionibus deferendæ; cuius parua lunula, qua Euchariſtia ſuſtinetur, ex argento deaurato ita fiat, vt ſi quæ in illa remaneant fragmenta, facilè colligi poſſint. Et hoc tabernaculo in Proceſſionibus, quibus Sanctiſſima Euchariſtia circumfertur, ſemper vtatur Parochus; vt Sacramentum à fidelibus videri, & adorari poſſit.

Frequens communio.

§. 10. Hortetur Parochus populum ſibi ſubiectum ſæpè ad frequentem Sanctiſſimi Corporis Domini ſumptionem, & ſi fieri poteſt, ſingulo quoque menſe, vel die Dominico; Dum tamen caueant, ne mortalis pec-

cati

cati ſibi conſcij accedant; quin prius confiteantur, & pœnitentiam agant: Quod etiam conſulimus ei qui pluribus venialibus peccatis inuolutus exiſtit.

Nō in patena.

§. 11. Sacerdos ſacram communionem miniſtraturus, vt pericula, quæ quandòque contingunt, euitet, hoſtias conſecratas non apponat ſuper patenam: ſed ipſam Pixidem adhibeat: ex qua particulas hoſtiæ accipiens, communicantibus præbeat.

Veſtes Sacerdotis communicantis.

§. 12. Si inter Miſſæ celebrationem debeat communionem miniſtrare: ſtatim poſtquam ſanguinem ſumpſerit, antequam ablutionem accipiat, hoc præſtet: ac deinde ſacrificium Miſſæ perficiat. Si verò ſtatim poſt Miſſam peractam debeat alicui communionem præbere, non deponat caſulam: ſed vt eſt ſacerdotali veſte indutus, Sacram communionem miniſtret. Quod ſi alio tempore extra Miſſæ Sacrificium Sacra communio fuerit miniſtranda: tunc Sacerdos ſuperpelliceo, & ſtola non in modum crucis, ſed à collo in longum protenſa indutus, Chriſti Corpus conferat.

Ablutio poſt communionē.

§. 13. Pro ablutione communicatis propinanda, non vtatur Calice Sacro; ſed decenti Cyatho ex nitido, puròq; cryſtallo, qui in alterius rei vſum nunquam adhibeatur, & ſemper mundus in ſacriſtia ſeruetur.

Non expectetur Eleemoſyna à communicantibus.

§. 14. Caueant autem Parochi, ne quod vas, aut capſulam pro Eleemoſyna à communicandis, vel communicatis conferenda proponant, ſiue proponi permittant: omnis enim auaritiæ ſuſpicio, & vmbra præcipue in huius Sacramenti miniſterio eſt profliganda.

Adoleſcentes communicandi examinētur à Parocho.

§. 15. Nullus adoleſcens, ſiue maſculus, ſiue fæmella, admittatur prima vice ad recipiendam Sacram communionem, niſi prius à proprio Parocho diligenter examinatur, qui probet, nùm eo iudicio, & diſcretione adoleſcens vigeat, vt communicando intelligat, quid agat. Et ſi rationis ſufficientis reperiatur compos, admittatur.

Cui

Cui etiam inſinuetur, ipſum deinceps teneri in Eccleſiæ præcepto ad communicandum ſaltèm ſemel in anno. Et erudiatur de fide huius Sacramenti, de præparatione, & de modo dignè communicandi.

Cæteri verò Confeſſarij, aut Sacerdotes nullum prima vice ad communionẽ admittant: ſed ad ipſum Parochum remittant, niſi tamen ex Parochi commiſſione, aliquem examinauerint, & idoneum repererint.

In Paſcha omnes cõmuniorẽ à Parocho ſuo ſumant.

§. 16. Vt autem Parochus commiſſarum ſibi ciuium certam poſſit quocumque tempore rationem habere, & reddere, & diuerſitate morum, ac vitiorum cognita, congrua medicamina valeat applicare; ſtatuimus, atq; mandamus, quòd nullus ſecularis, vel Regularis Sacerdos in die Paſchatis Euchariſtiæ ſacramentum laicis, qui de ipſorum Parochia non ſint, miniſtrare audeat; ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis. Immò quilibet Sacerdos omnes hortetur, vt à proprio Parocho communionem ſumant.

Mulieres ſeorſum à maſculis communicentur.

§. 17. Tempore Paſchatis, & quocumque alio frequens populus communionem ſumit: vbi pro Eccleſiæ amplitudine licuerit, Corpus Chriſti maribus ſeorſum à mulieribus miniſtretur; vt ne modo non ſe inuicem tangant, ſed ſi fieri poſſit, nec ſe conſpiciant, diuerſis locis, vel diuerſo tempore communicantes.

Liber, & ſigna communicantiũ in Paſcha.

§. 18. Præcepto Eccleſiæ de Communicando ſaltem ſemel in anno Paſchali tempore, vt omnes ſatisfaciant, & ſi qui contempſerint, iuxta Canones puniantur; Parochus omnium, qui communionem ſumunt, nomina, & cognomina in libro ad hoc deſignato ſcribat; & ſtatim poſtquam quemlibet communicauerit aliquod ſignum illi conferatur. Et deinceps, qui communione refecti non fuerint, per familias Parochus recenſeat; nobiſque ſignificet, expoſitis etiam cauſis, ſi quæ ſunt, ob quas à communicando ceſſauerint.

§. 19. Et vt fraudibus, malitijſque hominum, quantum

tum fieri poteſt, occurratur; Parochus, ſi qui de ipſius cura Paſchali tempore abfuerint, omninò intelligat; Et ſtatim ac fuerint reuerſi, certior ab illis fiat, quo loci eo tempore Sacra communione fuerint cibati, qui per fidem Sacerdotis, à quo communicauerint, vel legitimorum teſtium, id probare teneantur. Qui, ſi id minime præſtent, infra octo dierum ſpacio in propria Parochia confeſſi ſacram Euchariſtiam ſumant: Aliòquin Nobis ſtatim ſignificentur, vt pro noſtro officio contra eos procedamus. De abſentibus in Paſchate.

§. 20. Parochus infirmum decumbentem communicaturus, prius ipſum adeat, & ab illo, vel ab eius conſanguineis, aut alijs timoratis hominibus inquirat, an ille vomitum, nauſeam, ſiue aliam faucium, vel ſtomachi indiſpoſitionem patiatur, quæ à Sacramenti ſumptione impediatur. De communicandis infirmis.

Cætera verò proſequatur Parochus omnia, quæ in Rituali docentur.

§. 21. Ad ſacram ſollemnitatem ſanctiſſimi Corporis Chriſti ſingulo quoque anno celebrandum hortetur Parochus populum: vt præmiſſa peccatorum confeſſione, Euchariſtiæ ſacramentum humili deuotione ſuſcipiant: Ipſa die, & qui poſſunt, per ipſius octauam Miſſæ Sacrificio, ac diuinorum Officiorum recitationi interſint, & quas (ſi conueniant) Indulgentias, conſequantur, edoceat. Ab Vrbano etenim Quarto, Clemente Quinto, Martino Quinto, & Eugenio Quarto ſequentes Indulgentiæ ſunt illi elargitæ. Feſtum corporis Chriſti.

Ieiunantibus pridie ſollemnitatis Corporis Chriſti, centum annorum.

Illis, qui primis Veſperis interſunt, centum annorum.

Illis, qui Celebrationi Miſſæ ſollemnis Feſtiuitatis diei, centum item annorum.

Eandem illis, qui ſecundis Veſperis.

Qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, ac Completorij Of-

ficia

ſicia audierint, pro qualibet horarum quadraginta annorum Indulgentiam conſequetur.

Qui per octauam recitationi prædictorum Officiorum aderint, Indulgentiam centum annorum.

Proceſſio Corporis Christi.

§. 22. Deinde, ſingulis annis (ſicut hactenus eſt conſuetum) ipſa die Sollemnitatis Corporis Christi, in omnibus locis quamuis minimis, per Parochos, vel alios ad quos huiuſmodi officium ratione maioris dignitatis ſpectat, edicatur, & fiat Sollemnis Proceſſio, maiori, qua poterit fieri, feſtiuitate, apparatu, & reuerentia, per vias, locaque inſigniora. In qua Proceſſione ab illo, qui maiori dignitate inter Sacerdotes præeſt, Venerabile hoc Sacramētum in ſupradicto tabernaculo conſpicuum deferatur pio cultu, religioſaquè deuotione ab omnibus populis adorandum.

Omnes aduenriant.

§. 23. Ad quam Proceſſionem conueniat vniuerſus Clerus, & Populus, Regulares quoque cuiuſuis Ordinis; & omnes Laycorum Societates. Et ſi qui ex his, qui aduenire tenentur, negligat, compellatur: pœnìſque arbitrio noſtro infligendis puniatur. Quo verò hæc Proceſſio ritu ſit facienda in Rituali nouo videre eſt.

Feſtum corporis Chriſti.

§. 24. In ſollemni hac Proceſſione non deferantur Sanctorum Reliquiæ, vel alia quæcumque ſacra; ſed ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſolùm: in qua Canonici, totùſque Clerus ſuperpelliceis, decentìque habitu induti, intortitia, & cereos accenſos pro cuiuſq; dignitate, aut facultate manu propria ferentes, capite diſcooperto, qua Dei miniſtros decet, grauitate incedant; hymnos, & pias preces deuotè cantando &c.

DE

De Sacramento Ordinis.
CAP. VIII.

§. 1. SVmmus Sacerdos Dominus noſter Ieſus Chriſtus inter præclara Sacræ ſuæ Sponſæ Eccleſiæ ornamenta, Sacerdotalem præſtantiſſimam dignitatem, inclytumq; Ordinem, ac cœleſtem planè auctoritatem inſtituit, qua ex Chriſti fidelibus quidam, quaſi in vno myſtico Chriſti corpore excellentiora membra, ſacrorũ, & diuini cultus officio (quod maximum eſt hominibus) præficerentur; quorum poteſtas ſpiritualis Angelorum poteſtatem æmulata, immo excedens, oues Dominicas gubernando, & cœleſtibus alimonijs nutriendo, voluntatis, ac conſilij Dei eſſet index, atque miniſtra. Ipſi verò tanquàm Dei, & hominum mediatores, preces, ſupplicationeſq; populi Deo offerrẽt, Sacrificijs peccata hominum expiarent, & Dei miſericordiam, veniam, & gratiam referrent. Ordinis excellentia.

§. 2. Cum itaque tantam Sacerdotibus ſuis Dominus contulerit excellentiam, & poteſtatem; qua proprij ſint Sacramentorum Miniſtri, & Regni Cœlorum clàues illis ſint demandatæ, vt ante iudicij diem ligare poſſint, & ſoluere, claudere, & aperire: omni conatu cauere tenentur, ne ipſi in aliquo offendant; ſed in omnibus bonorum operũ ſe præbeant exemplar: mores, ac vitam ita componentes, vt in eis ſemper omnis eluceſcat integritas. Ordinandi probitas.

§. 3. Nos ergò circà ordinandos ea, quæ ſequuntur, obſeruari mandamus. Cum nullus ad quemuis Ordinem, nec ad primam tonſuram quidem ab alio, quàm à proprio Epiſcopo, niſi de illius licentia, promoueri poſſit: Si quis igitur abſque Noſtris Litteris Dimiſſorialibus, extra noſtram Diœceſim, aliquo Ordine initiatus fuerit; Nullus ordinetur, niſi à proprio Epiſcopo.

ab illius executione ſit ipſo facto ſuſpenſus: Et ſi ea ſuſpenſione durante, in ſuſceptis Ordinibus adminiſtrauerit, ſtatim Irregularitatem incurrat; & à Nobis, prout tanta mulctanda eſt audacia, acerrimè ſe puniendum ſciat.

Ordinatio denuncianda.

§.4. Vbi Edicto publico generales à Nobis Ordinationes habendas, ad certam diem ſignificatum fuerit: Quilibet Parochus publicè die Feſto, inter Miſſarũ Sollemnia Noſtras Litteras ſuper his populo annunciet: Vt qui aliquo Ordine initiari velint; quid ſibi ſit præſtandum præcognoſcant. Et præmoneat Parochus, nullum à Nobis quouis Ordine, vel etiam Clericali Tonſura fore promouendum, niſi ſui proprij Parochi prius teſtimonium habeat, ſe in Eccleſiaſtica diſciplina verſatum, bonis moribus, & Sacramentorum frequentia, ſpectatæ vitæ exempla præbuiſſe.

Fides pro Ordinandis.

Ordinãdorum impedimenta detegenda.

§.5. Præterea Parochus publicet populo nomina illorum, qui de Parochia ipſius ad aliquem ex Sacris Ordinibus promoueri intendunt: Et admoneat omnes, vt ſi qui nouerint in his, qui ordinari volunt, aliquod impedimentum, quòminus hoc aſſequi poſſint, illud ipſi, aut Nobis, vel Vicario noſtro Generali denuncient.

Impedimenta autem ſunt iſta, quæ ſequuntur.

Si Abſque diſpenſatione quis Ordinum interſtitia non ſeruet.

Si prauis moribus ſit turbulentus.

Si non ſit liber.

Si ex legitimo matrimonio non ſit genitus: neque de hoc Apoſtolicæ Sedis priuilegio diſpenſatus.

Si Percuſſor. Si Rixoſus. Si Bigamus. Si Abſtemius. Si non ſanæ mentis. Si Simoniacus. Si homicida. Si ſecularibus negocijs implicatus. Si ad ratiocinia reddenda obligatus: aut debitis grauioribus inuolutus. Si in ætate legitima non ſit conſtitutus. Si excommunicatus, Suſpenſus, aut Interdictus. Si caduco laboret morbo: Si

Vſu-

Vſurarius, Periurus, Impudicus, ebrietati, vel gulæ deditus, aut quid ſimile.

Si corpore vitiatus.

Si ſanguinis ſententiam tulerit, procurauerit, aut alijs criminalibus cauſis ſe immiſcuerit: vel laycalia exercitia ex officio egerit: vt propterea Irregularis ſit effectus.

Item ſi redditus Eccleſiæ, vel beneficij, ad cuius titulū ordinatur, ad illius vitæ ſuſtentationem non ſufficiant, vel non habeat pacificam poſſeſſionem. Aut, qui ad titulum patrimonij ordinatur, ſi inſufficiens habeat patrimonium: aut illud ſi ære alieno grauatum. Patrimoniū autem in noſtra Diœceſi, ſaltem aſcendere debet ad ſūmam ſcutorū quadraginta annuatim liberè percipiendorum. Et hoc patrimonium eſſe debet proprium, & reale, non ſimulatum. Patrimonium pro Ordinādis.

§. 6. Si quis autem ſimulata donatione, vel ficto patrimonio promoueri obtinuerit: ſit ſtatim ipſo iure ſuſpenſus, & grauioribus à Nobis puniendus pœnis. Contra fictum Patrimonium.

§. 7. Patrimonium verò, ad cuius titulum, quis fuerit ordinatus, nulla cauſa diſtrahi, vel aliàs alienari poſſit: quouſque ordinatus ex Eccleſiæ redditibus, vel aliunde habuerit, vt per ſuam totam vitam commodè ali poſſit; id quod Nobis conſtet, & à Nobis licentiam obtineat: Et alienatio patrimonij aliter facta ſit ipſo iure nulla, & inualida, nulliùſque roboris: pro vt Nos eam præſenti conſtitutione inualidam, & nullam declaramus; & nullius momenti eſſe decernimus. Patrimonium quouſque alienari nō poſſit.

§. 8. Parochus ſuis Litteris Teſtimonialibus exponat Nobis hæc omnia, cum annotatione nominis, cognominis, patriæ, & parentum, ordinandi, ac propriæ Parochialis Eccleſiæ, in qua ortus, & in qua degit ad præſens: Patrimonium quoque Eccleſiaſtici redditus, cuius titulo Sacros Ordines ſuſcipere poſſit. Parochi teſtimonium.

§. 9. Sciant præterea, qui ordinari volunt, quòd nullatenus admittentur à Nobis, niſi præuio diligenti exa- Examen pro ordinandis.

 mine

mine pro cuiuſque ſuſcipiendi Ordinis exigentia. Veniant ergò litteris inſtructi, atque parati. Et quia ſimul cum Ordine, vel etiam prima Tonſura ſunt omnes Sacra Communione reficiendi: ideò ad ſumendam Euchariſtiam præparati accedant.

Cõmunionem ſumere.

Pro prima Tonſura.

§.10. At quoniam per primam Tonſuram aditus ad Ordinis Sacramentum aperitur, valdè refert, omnem in illa conferenda, & ſuſcipienda diligentiam adhiberi. Primò igitur qui Clericali militiæ adſcribi volunt, ſe ex legitimo matrimonio natos, vel aliàs de eos diſpenſatos, probata fide oſtendant. Deindè à Parocho, vel Ludi litterarij Magiſtro teſtimonium habeant de vita, moribus, & diſciplina: & quòd ab ineunte ætate ad pietatem, & doctrinam ſint educati. Et quòd Confirmationis Sacramentum acceperint: & quòd Doctrinam Chriſtianam frequenter in Eccleſijs audierint.

Pro Minoribus Ordinibus.

§. 11. Verùm quia ſæpenumero mores hominũ adeò variantur, vt qui aliquandò alicui honori videbatur idoneus, poſtmodum eo indignus cenſeatur; meritò qui prima Tonſura initiatus, ad Minores Ordines promoueri voluerit, licèt aliàs de moribus, & vita legitimè à ſe tranſacta fidem præſtiterit: hoc ipſum tamen in cuiuſlibet Ordinis ſuſceptione exhibere teneatur, proprij Parochi teſtimonio ad præſcriptam formam.

Fides pro Ordinandis in Minoribus.

§.12. Inſuper fidem habeat Ordinandus, De prima Tõſura, vel de Ordine proximè ſuſcepto. Quòd Eccleſiæ, ad cuius famulatũ adſcriptus fuerat, inſeruierit: Quòd Clericali decẽti habitu inceſſerit: Quòd frequẽti cõfeſſione, atq; ſacra Cõmunione cibari ſæpè curauerit: Quòd eam ſcientiæ, & conſeruationis bonæ ſpẽ præſetulerit, vt ad maiores Ordines aſcendendi dignus appareat.

Pro Ordinãdis in Sacris.

§.13. Per Menſem poſt promulgatum Edictum de Ordinatione à Nobis habenda, quicumque ad aliquem ex Superioribus Ordinibus initiari voluerit, ad Nos accedat: & licentiã, ac Litteras à Nobis expoſcat, vt iuxta

Trid.

Trid.Conc. Decretum,Proclamationes in ſua Parochia fiant. Quandò deindè aduenerit ordinandus, ſecum deferat fidem ſub Noſtris Litteris ſignatam à tergo, quòd à Parocho hæ Proclamationes fuerint peractæ. Qui verò in prædicto menſis termino non comparuerint, ad Ordines pro illa vice à Nobis non admittentur. — Seſſ. 23. cap. 5. De refor.

§. 14. Qui temerè, arroganter, & quod maius eſt, dolosè ad ſacros Ordines ſe promouendum ingeſſerit, examine non præcedente, vel licentia à Nobis non obtenta: vel falſis teſtimonijs oſtenſis: ſit ipſo iure ab ordinibus ſic furtiuè receptis ſuſpenſus: & pœnam carceris per annum ipſo facto incurrat. Falſarius verò teſtis ſciat ſe de toto grauiter puniendum. — Cōtra eos qui dolosè ordinātur.

— Contra falſos teſtes.

§. 15. Ad Subdiaconatus Ordinem promouendus, diligenter vitæ ſuæ rationem ſcrutetur; & videat cui, Ordinem recipiendo, oneri ſe obſtringat: ac proindè re tota accuratè, & maturè deliberata, pura mente, propenſa voluntate ad tanti momenti rem accedat: Ac de infraſcriptis fidem authēticam oſtēdat, videlicet, Quod ætatem annorum viginti duorū ſaltem attingat: Et (niſi Religioſus profeſſus ſit, & ad titulum paupertatis ordinetur) quòd Eccleſiaſticum beneficium, vel ſufficiens patrimonium habeat, de quo ſuprà. — Pro Subdiaconis.

§. 16. Qui ad Diaconatus Ordinem eſt promouēdus, ſicut ad altiorem Ordinis gradum aſcendere habet; ita cæteros virtute, probitate, & doctrinæ meritis anteire debet; à quo illud etiam requiremus, Qua in arte, & vitæ genere hactenus ſit verſatus. — Pro Diaconibus.

§. 17. Ordinandus demùm Sacerdos, cum ſublimiorem, magiſq; cæteris Sacrum Ordinem conſcendat, ſeueriori examini ſe ſubijciendum præparet; Nam præter vitæ anteactæ Sanctimoniam, & in Latina lingua peritiam, de Conſcientiæ etiam Caſibus interrogabitur: & de omnibus, quæ ad Sacerdotem attinent, officijs: Nec non de dubijs circa Miſſam occurrentibus. — Pro Sacerdotibus.

De Sacramento Extremæ Vnctionis. CAP. IX.

Extremæ Vnctionis neceſſitas.

§.1. PIvs, atque miſericors Dominus fidelibus ſuis omni quidem tempore contra nequiſſimi hoſtis Diaboli tela prouidẽs opportuna remedia; in finem vitæ noſtræ, quando vel maximè aduerſarius debaccatur, & omnes verſutiæ ſuæ neruós cõtra nos intẽdit; clypeum hunc ſalutis condonauit; vitæ noſtræ exitũ Sacramẽto Vnctionis extremæ tamquàm firmiſſimo muniens præſidio: Qua Sacra infirmus roboratus Vnctione, morbi leuiùs ferat incommoda; corporis ſanitatem, ſi animæ ſaluti expedierit, conſequatur: Dæmonis tentationibus validiùs obſiſtat; à peccatorum reliquijs abſoluatur, diuinæ gratiæ augmentum recipiat: & magnam diuinæ miſericordiæ, quæ Sacro hoc nobis Oleo ſignificatur, fiduciam concipiat.

Admonitio Parochi.

§.2. Vt ergò ad huius Sacramenti receptionem libentiùs, ac magis excitentur infirmi, Parochus ſibi commiſſas oues ſæpè moneat, quantus animæ à corpore recedentis ſit tremor, quæ pugna, qui timor: cum eam Dæmonum teterrimus incutiat aſpectus: & exactam peccatorum ſuorum rationem redditura, veniat in cogitationem illorum tota horreſcens; Vt propterea diligenti ſtudio vigilandum ſit, vnumquemque Chriſticolam tũc tẽporis firmiſſimo hoc Vnctionis extremæ Sacramento muniri.

Conſeruentur ſeorſum.

§.3. Præterea, quæ in Rituali Romano circa hoc Sacramentum adminiſtrandum obſeruari iubentur: pauca hæc à Nobis viſa ſunt admonenda. Et in primis, quòd Sacrum Vnctionis Sacramentum non conſeruetur ſimul cum cæteris Sacris Oleis; ſed ſeorſum in Eccleſia, loco tuto, ac decenti, & clauſo, atque ob omni immunditia purgato.

§.4. Ne

§.4. Ne Parochi negligant huius Sacramenti miniſterium, præſenti Conſtitutione ſtatuimus, & mandamus, quòd ſtatim,ac audierit Parochus infirmitatem alicuius de ſua Parochia, ipſum viſitet, & Sacramentis Eccleſiaſticis, primò Confeſsionis, deindè opportunè Communionis, & tertiò, quando opus eſt, Extremæ Vnctionis refici curet. Si quis verò animarum Curatus in hoc negligens fuerit, ſeuerè à Nobis ſciat ſe puniendum. Vigilantia Parochi circa infirmos.

§.5. Si quando autem morbi vi vrgente, vel aliqua faucium indiſpoſitione, infirmus Sacram Cõmunionem ſumere non poterit: dum tamen de peccatis pœniteat, Vnctionis Extremæ Sacramentum Parochus illi adminiſtrare non vereatur. Conferatur quandoq; non cõmunicatis.

§.6. Vnctio Sacra ægroto, dum adhuc ſanæ eſt mentis, & quod recipit, intelligit, quantum fieri poteſt, miniſtretur: ſi quando tamen quauis cauſa ægrotus ſenſus amiſerit, dummodo adhuc viuat, & dum rationis vſum habeat, vel petijt, vel veriſimile eſt, quòd petijſſet: hoc illi Sacramentum miniſtrari debet. Conferatur tãtũ petẽtibus.

Ea de cauſa, vbi Parochus ægroti Confeſsionem audierit, vel Sacra Commnnione cibauerit, ipſum interroget, An ingraueſcente morbo, Extremæ Vnctionis Sacramentum petere proponat.

De Sacramento Matrimonij.
CAP. X.

§.1. VT fidelium propagatio ad ipſius Dei gloriam dirigatur, & in hac noſtræ imbecillitatis corruptela, quantum fieri poteſt, fornicatio, & omnis immunditia euitetur Chriſtus Dominus Matrimonij Sacramentum inſtituit, per quod homo,Patre, & Matre ſua relictis, Vxori adhærens, Chriſti Saluatoris; & Eccleſiæ indiſſolubile ſponſalitium repræſentat. Ea de Matrimonij ratio.

cauſa,

cauſa, Viri, & Mulieres ab ipſo Deo per Eccleſiam arctiſſimo Sacramenti vinculo coniuncti, à quo nullus hominum eos ſeparare poteſt, perpendant, qua ſe mutua charitate diligere teneantur, alter alterius onera ſufferentes, imperfectiones inuicem per patientiam tolerantes: & filios in fide, ſpe, deuotione, & charitate enutrientes.

§.2. Ne verò Myſterium adeò Sacrum, tantæ vtilitatis, & gratiæ negligatur, ſed dignè, & laudabiliter, vt ipſum decet, adminiſtretur: doceat ſæpè Curatus populum ea, quæ Seſſione 24. de Sacramento Matrimonij

Conc. Trid. Sacrum Tridentinum Concilium omnibus firmiter credenda, & obſeruanda decreuit; Et præterea iſta, quæ ſequuntur Nos apponenda, & exequenda mandamus.

Parochus, vt Sponſi religioſa mentis præparatione

Matrimonij fructus. Matrimonia celebrent, populum ſæpè moneat; quid fidei, quid proli, quid Sacramento huic conueniat: quòd caſtitatis fide mutua vir vxori, & vxor viro obſtricta inuicem ſe caſtè amantes; ſanctum coniugij fœdus inuiolabile ſeruent. prolem in timore Domini, & amore educantes enutriant. Et propter huiuſcè Sacramenti ſanctitatem coniux à coniuge nunquam ſeparari præſumat: quòd ſi fortè (quod Deus auertat) quandòque ſeparentur: nulli eorum licebit ad alterum tranſire thorum, ſed nuptialis coniunctio, qua effecti ſunt vna caro, adhuc ſemper remanet vſque ad alterius mortem.

Coniugum munia. §.3. Item docebit eos Parochus, Matrimonij officio adſcribi, vt Viri Vxores ſuas liberaliter, & honorificè tractent: quæ ad enutriendam familiam ſunt neceſſaria, ipſi prouideant, & familiam bonis moribus inſtituant. Ad Vxorem verò ſpectat, ſubditam ſe Viro gerere: filios piè enutrire, domi ſe libentiùs continere: ac viro in omnibus, quæ pietati Chriſtianæ non aduerſantur, obtemperare.

Adhortetur etiam illos Parochus, vt Orationum publica-

blicarum, Solemnitatum, & Ieiuniorum tempore à Matrimonijs ſe abſtineant, quò Religioni melius inſeruiant.

§.4. Preter ea verò, quæ in Rituali admonentur, Nos quæ ſequuntur obſeruari iubemus. Nullus Curatus, vel Sacerdos audeat Matrimonio cōiungere alterius Parochiæ Sponſos abſque proprij illorum Parochi licentia: aliòquin à diuinis ſit ipſo facto ſuſpēſus. Sed proprius Viri, ſiue Mulieris Parochus, in cuius Parochia Matrimonium celebratur, per ſeipſum (legitimo impedimēto ceſſante) Matrimonia celebret, & Sponſos benedicat. Matrimonia celebret Parochus proprius.

§.5. Quod ſi alter Sponſorum, alterius eſt Parochiæ, illos Matrimonio non coniugat, quoùſque alterius illius Parochiæ Curatus teſtimonium non exhibeat, à ſe in ſua Eccleſia denunciationes factas, & nullum impedimētum denunciatum fuiſſe, nec extare, quod ipſe ſciat. Si alter cōiugū alterius ſit Parochiæ.

§.6. Quòd ſi alter Sponſorum, alterius eſt Diœceſis, ad contrahendum nullo pacto admittatur, niſi Epiſcopi ſui Ordinarij, vel ipſius Generalis Vicarij teſtimoniū manu eorumdem ſubſcriptum, & ſigillo munitum Nobis exhibuerit: & contrahendi licētiam à Nobis obtinuerit. De contrahēte alterius Diœceſis.

§.7. Si vir contrahere volens, Parocho fuerit omninò incognitus, puta, quia incertas habeat ſedes: ne ſub Matrimonij ſpecie adulteria cōtingant; Parochus ſic vagos, & incognitos ad Matrimonium prorſus nō admittat, ſed ad Nos, vel noſtrū Generalem Vicarium deferat; Vt ſi is legitima probatione doceat ſe ſolutum, & à Catholica fide non alienum, contrahendi licentiam, ſi expedierit, Nos concedamus: quàm Parochus niſi in ſcriptis videat, & manum noſtram recognoſcat, matrimonio non iungat: nec teſtibus de licentia oretenus conceſſa credat; qui ſi aliter egerit, ſeuerè punietur à Nobis. De contrahēte incognito.

§.8. Antequàm Matrimonium populo denunciet Parochus præcognoſcat, an ipſimet Sponſi petant, & conſentiant: nec ad aliorum inſtantiam quamuis parentum Præcognoſcēda à Parocho ante denunciationes.

& proximorum, Matrimonia celebranda publicet.

An aliquo conſanguinitatis, affinitatis, aut ſpiritualis cognationis gradu prohibeantur. Nam ſic cõtrahentes, excommunicationem latæ ſententiæ incurrerent, & Matrimonium nullum eſſet; & filij qui inde naſcerentur, inceſtuoſi forent, & qui id ſcienter admiſerint, ex Tridentini Concilij diſpoſitione, ſpe conſequendæ diſpenſationis perpetuò carent.

Seſſ. 24. cap. 5

An Sponſi Chriſtianæ Religionis fundamenta, Apoſtolorum Symbolo, Oratione Dominica, Salutatione Angelica, & decem legis præceptis comprehenſa ſciãt: ſi enim ea ignorant, illos Curatus ad contrahẽdum non admittat; prout à Nobis aliàs eſt præceptum.

An in legitima ætate Sponſi ſint conſtituti, vir, videlicet, ad minus annorum quattuordecim, & Mulier duodecim completorum.

Vide Conc. ſiũ Tridentinum, Seſſ. 24. cap. 9. de Matrim.

Matrimonij libertas.

§. 9. An Sponſi liberè Matrimonium petant? & non vi, vel timore; alióquin Parochus eos non admittat. Quapropter nos quæcumque ſtatuta, decreta, & locorũ conſuetudines, libertatem Sacramenti Matrimonij quouis modo impedientia, decernimus nulla eſſe, & inualida; prout Nos hac noſtra conſtitutione irritamus, & inualidamus; Et Parochus ne quid contra Matrimonij libertatem fiat, diligenter curet.

Denũciationes nõ dimittãtur.

§. 10. Parochus, qui vel denunciationes Matrimonij ad præſcriptam Conc. Trid. & Ritualis formam facere, vel Sponſas abſque noſtra licentia, ex rationabili cauſa benedicere neglexerit, vel diſtulerit, grauiter à Nobis punietur: qui præterea procuret, quæcumque huius Sacramenti Sanctitati, & honeſtati contraria videntur, abolère.

Excommunicatio contra non reuelãtes impedimenta.

§. 11. Qui ſciens impedimentum Matrimonij contrahendi, non reuelauerit: vel ſi quis, vt Matrimonium impediat, aliquid malitiosè finxerit, aut Parocho denunciauerit, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrat,

rat, à Nobis tantùm abſoluendus; & alijs etiam ſubijciendus pœnis, prout delicti grauitas expoſcit.

§.12. Si quando probabiliter dubitauerit Parochus, timore, vel alia quauis cauſa Matrimonij celebrandi impedimenta etiam factis publicationibus, non reuelari, vlterius in denunciationibus non progrediatur; ſed Nobis, aut noſtro Generali Vicario cauſam ſuæ dubitationis ſtatim exponat; vt quod magis expedire videbitur, prouideamus; ille tamē interea à timoratis viris ſecretò rem inquirat, vt ſi fieri poteſt, impedimenta aperiantur. Si impedimēta non detegātur.

§.13. Cum difficilè ſit admodum, Sponſos habito Matrimonij tractatu, & publicationibus factis, ne ſimul conuerſentur, diù cohibere; vt quantum in Nobis eſt, peccandi arceatur occaſio, Parochis omnibus mandamus; Vt ſtatim poſt peractas in Eccleſia denunciationes, & nullo exiſtente impedimento, Sponſos ad Matrimonium per verba de præſenti contrahendum coniungant. Quod vt facilius fiat, Parochus vbi de publicatione alicuius Matrimonij fuerit requiſitus, & Sponſorum ipſemèt audierit voluntates, tunc à Sponſis, eorumq; parentibus inquirat, An ad Matrimonij celebrationem omnia parata habeant, vt factis publicationibus, quàmprimum celebrari poſſit. Quòd ſi cauſa ſolutionis dotis, vel quacumque alia, Matrimonium ad longum ſit differendum, Parochus denunciationes non faciat. Quòd ſi factis publicationibus, Matrimonium infra vnius menſis ſpatium, per verba de præſenti non peragatur, Parochus Sponſos ad contrahendum vlterius non admittat, abſque noſtra ſpeciali licentia; Interea tamen curet ne Sponſi ſimul conuerſentur; & certiores de his omnibus Nos reddat. Poſt denunciationes Matrimonium non differatur.

§.14. Verùmtamen eo ipſo die, quo de Matrimonio contrahendo facta eſt vltima denunciatio, Sponſi non coniungantur; niſi fortè poſtrema hæc denunciatio, die initium Aduentus, vel Quadrageſimæ immediatè præcedente fiat; quo caſu, poſt factam tertiam publicatio- Non fiat die vltimæ denunciationis.

nem, eodem die Sponſos in Matrimonium iungere Parocho concedimus.

Quid ſi denunciationes omittantur.

§. 15. Quando denunciationibus omiſſis iudicio, & diſpenſatione Epiſcopi, Matrimonium per verba de præſenti fuerit contractum: tunc à Parocho moneantur Sponſi, vt ab vſu Matrimonij, cohabitatione, & conuerſatione abſtineant, donec denũciationes fuerint expletæ: & inter eos quòminus contrahere poſſint, nullum impedimentum prodatur.

Quid ſi impedimenta detegantur.

§. 16. Quandocumque Matrimonij contrahendi impedimenta detegentur, Sponſos grauioribus appoſitis pœnis Parochus moneat; & quantum poteſt, arceat, ne ſimul conuerſentur, quouſque à Sancta Sede Apoſtolica diſpenſatione obtenta, ac precibus iuxta diſpoſitionis formam coram Nobis verificatis, licentia contrahendi concedatur. Quòd ſi poſt Matrimonij celebrationem, Sacri Conc. Trid. forma ſeruata, aliquod impedimentum detegatur: prohibeantur Sponſi, ne ſimul cohabitent, nec conuerſentur: quouſque à Sancta Sede Apoſtolica, vt ſupra, fuerit diſpenſatum.

Ne Sponſi poſt ſponſalia ante Matrimonium ſimul conuerſentur.

§. 17. Vt multis abſonis, & ſcandalis, quæ contingere poſſent, Nos pro viribus obuiemus, animarũq; conſulamus ſaluti, præſenti cõſtitutione ſancimus Spõſos, & Sponſas ſimul in figura Matrimonij conuerſationem aliquam habere non poſſe, niſi poſtquàm Eccleſiæ ſollennitatibus adhibitis, Matrimonium per verba de præſenti legitimè contraxerint. Tempore verò contrahendi Matrimonij poſt ſponſalia, Orationibus vacent, & continentiam ſeruent. Qui præmiſſis non obtemperauerint, pœnas à Nobis aliàs Edicto publico contra eos propoſitas, incurrant: Quo Edicto inhibemus ſub pœna Excommunicationis, conuerſationem Sponſorum poſt ſponſalia, ante Matrimonij legitimam, & realem celebrationem; niſi his ad ſummum, & coram Sponſæ parentibus, vel proximè cognatis. Poſſit tamen eorum Curatus

(præter

(præter has duas vices) pluriès intra Menſem à die deſponſationis, licentiam concedere Sponſo ſuam Sponſā inuiſendi. Aliòquin qui in hoc deliquerint, præter mortis articulum, à nullo Confeſſario abſolui poſſint, ſed huius delicti abſolutionem Nobis, vel Vicario noſtro Generali reſeruamus. Et Sponſos tranſacto menſe ſimul commorantes poſt ſponſalia, ante Matrimonij contractionem, vltra prædictas pœnas, tamquàm concubinarios puniendos ſtatuimus; Et virum exilij pœna à tota noſtra Diœceſi mulctandum. Illud autem noſtrum edictum præcipimus cunctis Eccleſiarum Curatis, ſaltem ſemel in anno populis publicari.

§. 18. Vbi Sponſalia facta fuerint inter Sponſos in minori ætate conſtitutos, quàm ad Matrimonium contrahendum ſufficiat: ſi videlicet, aut Sponſus quartumdecimum annum non excedat, aut mulier duodecimum: diligentiam adhibeat Parochus ne ſimul conuerſentur, ſed à cohabitatione, colloquijs, ac viſitationibus abſtineant. Et quando is, qui defectum ætatis patiebatur, ad legitimam conſentiendi, vel diſſentiendi ætatem peruenerit, ab eo Curatus intelligat, An Sponſalia contracta rata habere proponat; Et ſi illis ſic placuerit, quàmprimum eos coniungat Matrimonio; vt litium, & ſcandalorum remoueatur occaſio.

De Sponſis in minore legitima ætate.

§. 19. Matrimonium in Parochiali Eccleſia mane ante prandium coram contrahentium propinquis, ac teſtibus celebretur. Cum enim proprius Sacramentorum locus ſit Eccleſia, in ea decet illud celebrari: non autem in Laicorum domibus, in quibus multa Sacramenti huius ſanctitati repugnantia committuntur.

Matrimonij contrahēdi locus eſt Eccleſia.

§. 20. Quoniam verò à celebratione Matrimonij in Eccleſia multotiès auertuntur Sponſi ob inuidentium timorem, quòd incantationibus, & maleficijs quandòque præpediti reperiantur: igitur vt à tam immani crimine omnes abſtineant, præſenti ſtatuto ſancimus, vt

Excōmunicatio contra maleficos.

qui

qui talia commiſerit, vel committenda curauerit, mandauerit, ſuaſerit, vel conſenſerit, Excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurrat.

Non permittatur Muſica.

§.21. Cum autem Sponſi, vel ad contrahendum Matrimonium, vel benedictionem à Sacerdote recipiendam in Eccleſiam conueniunt: Parochus non permittat quæcumque muſica inſtrumenta adhiberi: ſed humili deuotione ad Miſſam audiendam, & Euchariſtiam ſumēdam poſt receptam peccatorum abſolutionem omni pompa ſemota eos hortetur.

Sponſi cohabitent.

§.22. Poſtremò Curatis, ac Sacerdotibus omnibus præcipimus, vt ſi qui coniugati, abſque legitima cauſa à Nobis cognita, & approbata, ſimul non cohabitant, ſed ſeparatim viuunt, illos ad Confeſſionis, & Communionis Sacramenta non admittant.

De Sacroſancto Sacrificio Miſſæ.

CAP. XI.

Sacerdotū puritas in ſacrificando.

§.1. CVm in hoc Sacrificio apprimè conferatur à Chriſto fidelium ſalus: Sacerdotes huius miniſtri, omni maiori cultu, religione, puritate, & timore Domini tenentur ipſum peragere: ne Sacrificium inſtitutum ad vitam obueniat illis in mortem. Quapropter vt dignè, & laudabiliter, quantum patitur humana fragilitas, adminiſtretur, & interior animi pietas externis ſignificationibus aperiatur; ea, quæ ſequuntur circa illud decernimus, & obſeruari ſtatuimus.

Sacrificandi finis.

§.2. Caueat in primis Sacerdos, ne intuitu lucri, aut ad inanem gloriam, vel propter Superioris timorem, aut ob verecundiam, celebret; ſed ad Dei honorem & gloriam, atque ad ſuam ipſius, populique, & animarum

viuentium, & defunctorum ſalutem.

§.3. Sacerdos Miſſam celebraturus frequenter peccata ſua, licèt Venialia: Et in hebdomada bis, aut ſaltem ſemel, niſi ob mortalis peccati conſcientiam, id crebrius oporteat, confiteatur. Sacerdos ſæpè confiteatur.

Deinde antequàm Sacras veſtes induat, Miſſam quam dicturus eſt, prælegat: & ſignacula locis ſuis accuratè diſponat: & ſi quæ dubia habuerit, vel circa Miſſam, vel circa prolationẽ verborum, peritiores conſulat.

§. 4. Ante Miſſæ inchoationem in Sacriſtia paret omnia, quæ in altari erunt ſibi neceſſaria: ne poſtquàm Miſſam inceperit, miniſter in populi admirationem, & deriſionem, huc, atque illuc per Eccleſiam vagari, & Celebrans ſuperſedere cogatur. Præparatio ante Miſſam.

§.5. Vtantur omnes Sacerdotes in Sacrificio Miſſæ Nouo Miſſali Pij Quinti Pont. Max. iuſſu edito, à Clem. Octauo recognito: & cæremonias in ipſo adnotatas ſeruent ad vnguem: veteri Miſſali penitùs prætermiſſo. Si cui verò in hoc errare contigerit, erit ipſo facto à diuinis ſuſpenſus: & à Nobis etiam grauiter punietur. Miſſale nouũ

§. 6. Hoſtiæ de farina mundiſſima à Presbyteris, vel ſaltem ab exiſtentibus in Sacris conficiantur: non autem à Laicis. Vrceoli, ſiue ampullæ pro Vino, & Aqua neceſſariæ in Miſſa, non ſint ſtaneæ, ſed Vitreæ, mundæ, & perlucidæ: vt Aqua à Vino facilè dignoſcatur. Aureis tamen, & argenteis vaſculis Eccleſias inſigniores non prohibemus vti pro Sollenni Miſſa, diebus feſtiuis maioribus: dummodo hæc vaſcula exterius loco patenti litteris intelligibilibus ſint ſignata, altera Vinum, altera Aqua. Sed & vino albo, non autem rubeo, quoad fieri poterit, ampulla, quæ Vini eſt, repleatur. Hoſtiæ, & Vrceoli quales.

§.7. Illotis manibus Sacerdos Sancta non tractet: ſed omni prorſus exteriori munditia, conſcientiæ puritatem præferat. Lotio manuũ.

Dein-

Indutio. Deinceps dum Sacris induitur veſtibus, modeſtia, & grauitate eas aptando, ſolertiam adhibeat, ne pars aliqua veſtium eleuata, reliqua nimium demiſſa ſit, ſed æqualiter vndique ad pedes vſque alba propendeat: & Orationes interea dicens, quæ ad hoc ſunt præſcriptæ, paſſionem Chriſti Domini, quam refert, recogitando, quid vnumquodque indumentum ſignificet, dum id veſtit, meditetur.

Veſtimentorũ colores. §. 8. Pro temporum diuerſitate, & ratione, veſtes Sacræ diuerſorum colorum in celebrandis Miſſis adhibeantur; præſertim feſtiuis diebus: iuxta Miſſalis Romani rubricas. Sint autem pro qualibet miſſa Veſtes vniformes; ne videlicet vnius coloris ſit caſula, alterius ſtola, & diuerſi manipulus: ſed eiuſdem omninò coloris omnia.

Veſtes cõſũptę Quæ veſtimenta, vbi longo vſu, vel à tineis conſumpta fuerint, in Sacrorum adminiſtratione non amplius adhibeantur: ſed aut in alios Eccleſiæ vſus adaptentur, aut comburantur, & cineres in ſacrarium mittantur; nullo autem modo vendantur, vel Laicis tribuantur, donentur, aut permutentur.

Inceſſus ad Altare. §. 9. Sacerdos Sacris veſtibus indutus, ſilentio ſecum, quod eſt facturus reuoluat, nec omninò cum aliquo ſermones miſceat.

A Sacriſtia autem, qua Dei miniſtrum decet, grauitate procedat, Clerico ſuperpelliceo induto præcedente; rebúſque neceſſarijs paratis; aliquo Campanulæ ſigno dato, demiſſis oculis, ambabus manibus calicem ferens ad Altare ſe conferat, caput eò vſque bireto con-

Biretum. tectum habens. Verumtamen ſi quando tunc Sacerdoti contigerit ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti expoſiti tranſire, etiam caput aperiat, & genu terram tangens, profundè inclinet.

Ad Altare, in quo celebraturus eſt, niſi fortè ibi Sacramentum Euchariſtiæ ſit, profundè ſolùm ſe inclinet, ſed non genuflectat.

Si quis autem Sacerdos Miſſam celebraturus, abſque bireto à ſacriſtia diſceſſerit, arbitrio noſtro pœna punietur.

Biretum verò ſuper Altare non collocet: ſed miniſtro tribuat, qui honeſto apponat loco.

§. 10. Calceis ligneis, quo Soccos vocant, non vtatur Sacerdos in celebrando: & Calice, & libro ritè in altari diſpoſito Crucis ſigno ſe muniens Miſſam incipiat. Socchi.

In altari portatili, vel nimis anguſto, vel aliàs parum idoneo, celebrare non audeat; ſicut neq; in altari paramentis neceſſarijs ſpoliato; Et qui in hoc deliquerit, pœnas luet. Altare quale.

§. 11. Ornamenta ad Miſſæ celebrationem adhibenda, pura ſemper exiſtant, & ab omni ſorditie, munda. Item Clericus celebranti miniſtrans, decenti, & mundo ſuperpelliceo, non lacerato vtatur. Habeat autem quilibet Parochus Clericum ad ſuæ Eccleſiæ famulatum, vel congrua mercede illi aſſignata, ſi per facultates Eccleſiæ liceat, vel quem litteras docendo, ad ſibi obediendum, & ſeruiendum obliget. Is verò clericali habitu non ſordido veſtitus incedat, atque Tonſuram deferat. Veſtium, & ornamentorum mundities. Clericus.

§. 12. Sine duobus luminibus ſaltem, ſacrum facere nullus audeat; & luminaria non ſint ex oleo, ſed ex candelis, albis, ſi fieri poteſt, niſi pro mortuis celebretur. Sint autem candelæ non paruæ nimium, & vſque ad finem Miſſæ non extinguantur. Intortitia ſimiliter alba, & decentia ad Chriſti Corporis eleuationem accenſa adhibeantur. Candelæ.

§. 13. In Miſſis paruis abſque cantu recitatis ad hoſtiæ conſecratæ eleuationem, paruum tintinnabulum à miniſtro modeſtia, & grauitate pulſetur. In maioribus Miſſis, & in quibus Parochialibus Eccleſijs vnica tantùm Miſſa celebratur ad Sacramenti Eleuationem, ſono Tintinnabulū.

Campana ad Eleuationem.

Campanæ, ſingulis diebus tàm feſtiuis, quàm ferialibus, ſignum detur, quo extra Eccleſiam exiſtentes hoſtiam Sacram tunc eleuari percipientes, genibus flexis aliquantulum adorent; quod vt præſtetur, de huiuſmodi re Parochus populum inſtituat.

Secretò, vel alta voce dicenda.

§ 14. Illa, quæ ſecretò pronuncianda ſunt, non alta voce proferat Sacerdos: & quæ palàm ſunt proferenda, diſtinctè, & clara voce intelligibili dicat; non prolixiùs, neque celeriùs, quàm par eſt, ſed congruo moderamine, & grauitate maxima.

Capite aperto.

§. 15. Coopertus capite nullus Sacerdos celebrare audeat, vel paruo quamuis pileolo, ſiue biretulo, etiam ſanitatis cauſa; niſi prius à Nobis licentiam obtinuerit, vt illum quomodo ſe in hoc gerere debeat, inſtruamus.

Regreſſus ad Sacriſtiam.

§. 16. Expleto Miſſæ Sacrificio Sacerdos in Sacriſtiam eodem, quo venit ordine reuertatur, præcedente miniſtro; Et ſacris exutus veſtibus aliquantulum orando de perceptis muneribus gratias Deo referat: deinde iterum manus lauet, quibus tetigit ſacra.

Eleemoſynarũ petulantia arceatur.

§. 17. Feſtiuis diebus, in quibus frequens populus ad Eccleſiam conuenire ſolet, & pro Miſſarum celebratione vberiores eleemoſynas conferre, nullus Sacerdos præ foribus Eccleſiæ obambulans, nec per Eccleſiam vagans, quaſi eleemoſynam pro Miſſis quæritet; ſed vt omnis auaritiæ auertatur ſuſpitio; Sacerdotes in ſacriſtia, Choro, ſiue Confeſſionario ſe contineant, & capſula claue munita deputetur, in qua omnes eleemoſynæ pro Miſſis recondantur, æqualiter poſtmodum inter eos, qui celebrarunt, & diuinis officijs adfuerunt diuidendæ, & vnuſquiſque ſit portione ſua contentus, ne rumores in populi ſcandalum, & ſacerdotalis dignitatis dedecus, eueniant. Et qui aliquas eleemoſynas ſibi reſeruauerit, tamquàm illegitimus detentor, ad reſtitutionem teneatur à Nobis etiam ſeuerè puniendus.

§. 18. Ne verò ſacerdotes à Dei cultu impediantur, mandamus,quod is qui ſacriſtiæ curam habet, nullo pacto Laico eam ingredi permittat, & ingreſſos eijciat. Qui, ſi moniti ab ingreſſu ſacriſtiæ non ſe coerceant, excommunicationis pœna puniantur. — Laici a Sacriſtia prohibeantur.

§. 19. Curet Parochus, quòd dum Miſſa celebratur populus in Eccleſia in ſilentio, deuotè, ac reuerenter, diuina myſteria audiens contempletur. Neque extra Eccleſiam præ foribus, aut in valuis conſiſtat; Nec ſacris Altaribus, fonti baptiſmi, aut vaſibus aquæ benedictæ innixus; nec per Eccleſiam ambulans, ſed certo quiſq; ſe contineat decenti loco. — Populi deuotio ad Miſſam.

Mulieres autem à viris ſegregatæ, velòq; caput contectæ, genuflexæ,prætetquàm ad Euangelium, orent. — Mulieres.

§. 20. Vbi plures eodem tempore in Eccleſia Miſſæ celebrantur, ſacerdotes altaribus ita inter ſe diſtinctis applicentur, vt inuicem non ſe perturbent. — Plures miſſæ ſimul.

Et dum Nobis celebrantibus, vel aſſiſtentibus, Sollemnis Miſſa peragitur, tunc in Eccleſia eadem nullus interea celebret, vſque quo per Nos pontificali more benedictio fuerit collata. — Si Epiſcopus adeſt.

§. 21. In prima Miſſa à nouo ſacerdote celebranda, prandia non fiant, & eleemoſynæ non colligantur. Sed omnis auaritiæ, aut gulæ auferatur occaſio. Hanc verò priorem Miſſam nullus ſacerdos abſque noſtra ſpeciali licentia celebret;quo prius intelligamus ab eo, nùm cæremonias rectè didicerit, & ad tanti ſacrificij myſterium ſe ritè præparauerit. — Prima Miſſa noui Sacerdotis.

§. 22. Feſtiuis diebus hora competenti celebret Parochus, qua populus omnis ad Eccleſiam facilè conuenire poſſit; Nec Nobilium intuitu, nimium differat, ne cæteri populares grauentur, & ampliùs expectare non valentes Miſſam dimittant. — Populi commoditas attendatur.

Item, & Miſſa, quæ ad populi commoditatem prima de mane celebrari conſueuit, hora ſemper debita reci- — Miſſa prima de mane.

tetur, vt qui negotijs ſunt occupati, audita Miſſa, ad exercitia ſua ſe conferant.

Non extra Eccleſiam.

§. 23. Nullus extra Eccleſiam celebret: nec in priuatis Oratorijs, niſi à Nobis ex priuilegio, ibi celebrari poſſe fuerit conceſſum. Similiter in Oratorijs Societatum Laicorum, celebrare nemini liceat abſque noſtra, vel noſtri Vicarij facultate.

In Oratorijs Laicorum.

Et qui à Nobis ibi celebrandi licentiam obtinuerint, Dominicis, & feſtiuis diebus, donec in Parochiali Eccleſia diuina officia fuerint peracta, celebrare non poſſint: niſi aliter proprio Parocho expedire videatur. Non enim decet populum aliò ſe conferre, derelicto Presbytero, à quo ieiunia, dies feſtos, & reliqua ad animarum ſalutem neceſſaria audire debet.

Presbyteri externi.

§. 24. Ignoti Presbyteri huc illuc peruagantes, abſq; licentia à Nobis,vel noſtro Vicario obtenta ad celebrandam Miſſam non admittantur: ſicut neq; alterius Diœceſis quamuis propinquæ ſacerdos, qui ſui Ordinarij litteras teſtimoniales non exhibuerit.

Tabella Miſſarum.

§. 25. Quælibet Eccleſia tabellam habeat, in qua adnotentur Miſſæ omnes, quæ pro quacumq; die celebrari debent: & hæc Tabella in ſacriſtia loco patenti affixa ſeruetur: vt qui pro miſſis celebrandis aliquid Eccleſiæ contulerint, vel legauerint, non fraudentur; & qui hiſcè oneribus ſatisfacere omiſerint, puniantur.

Duæ Miſſæ conuentuales.

§. 26. Quibus diebus ex Miſſalis Romani rubricarum præſcripto, in Cathedrali, & Collegiatis Eccleſijs, duæ miſſæ Conuentuales celebrari debent, vtraque earum decantetur. Quod ſi id capitulum adimplere neglixerit, ſeuerè punietur. Quò verò ad Miſſas defunctorum ſeruentur Rubricæ.

De

De ſanctorum Reliquijs.
CAP. XII.

Corpora Sanctorum, quæ dum viuerent, Chriſti Domini præcipua membra fuerunt, & Templum Spiritus ſancti: eorùmq; veſtes, loca, Reliquias, ſancta Mater Eccleſia pia veneratione ſemper eſt proſecuta, vt inſtrumenta ſpecialia à Deo electa diuinitatis, & miraculorum; quæ in iudicio vniuerſali incorrupta reſurgent, beatis illis ſanctorum animabus iterum informanda, atque in æterna fœlicitate glorificanda: per quæ interea Deus non pauca hominibus beneficia confert. **Reliquiarum Sacrarum Veneratio.**

Vt igitur Reliquiæ Sanctorum, quæ in noſtra ſunt Diœceſi, congrua veneratione colantur, & conſeruentur, hæc decernimus, atque mandamus.

§. 2. Quilibet Parochus ſcripta, & cuiuſuis generis monimenta Sacris Reliquijs affixa quamprimùm accuratè recognoſcat; recenſeat inſuper an ex teſtibus, vel aliquibus antiquis documentis, reliquiarum, quas in ſua Eccleſia habet, certam habere valeat cognitionem. Et in libro ad id ſpecialiter apparato, ſingulas Eccleſiæ ſuæ Reliquias, certo ordine deſcribat, annotatis etiam in illo ſchedulis, vel monimentis, quibuſcumque Reliquiarum: Cuius copiam infra tres menſes ad Nos, vel noſtrum Generalem Vicarium tranſmittat. **Liber Reliquiarum.**

Quæ Reliquiæ inſcriptionem habent non vetuſtate conſumptam, illa ſeruetur; quarum verò inſcriptiones corroſæ ſunt, renouentur: ſed & priores etiam licèt conſumptæ, ad oſtendendam antiquitatem, conſeruentur.

§. 3. Parochus ſanctorum Reliquias, quæ ad Eccleſiam ſuam pertinent, apud Laicos, & in priuatis domibus conſeruari non permittat: Sed ad Eccleſiam transfe- **Non apud Laicos ſeruentur.**

transferat, vt ibi ſeruentur. Pro ſacrarum autem Reliquiarum conſeruatione, in capite Eccleſiæ ab Altaris maioris dextera parte, ſi decentior locus non habeatur, Armarium congruæ magnitudinis conſtruatur pro numero, & qualitate Reliquiarum; quod à parte interiori, ne Reliquiæ humiditate putreſcant, ligneis tabulis operiatur, aliquo etiam ſerico panno tabulis ſuperpoſito: Hoc armarium duplici, ac diuerſa claui, & ſera muniatur; quarum clauium in Eccleſia prima Dignitas, alteram Vicarius noſter Generalis in Vrbe, vel Foraneus in locis remotioribus retineat.

Armarium pro Reliquijs.

Vbi verò conſuetudo præualet, vt Reliquiarum Claues à Laicis teneantur, huiuſmodi ianuis tertia clauis cum ſera apponatur, & hæc ſeruetur à Laicis.

In exteriori parte Armarij Reliquiarũ aliquæ ſanctorum piæ pingantur imagines, vt locus ex ſe deuotionem moueat; cum adnotatione Reliquias ſanctorũ edicente.

Vaſcula pro Reliquijs.

§. 4. Reliquiæ Sanctorum incorruptæ, & à ſordibus, ac pulueribus conſeruentur, in vaſibus claudantur ex aliquo metalli nobilis genere conſtructis, & perlucida cryſtallo circundatis: à quibus numquam extrahantur. Singulæ porrò Reliquiæ, quarum certa ſunt nomina, in carta pergamina habeant ſuã nomina alligata: Quæ verò ſanctorum Reliquiæ nomina non habent certa, ſingulari ſeruentur vaſculo, cum hac inſcriptione. Reliquiæ Sacræ, quarum nomina ignorantur,

Lampas ante Reliquias.

§. 5. Si Reliquiæ inſigniores ſint, & per Eccleſiæ facultates liceat, lampas ante earum armarium, vel perpetuò accenſa ardeat, vel feſtis ſaltem diebus.

Quomodo oſtẽdendæ populo

§. 6. Cùm Sanctorum Reliquiæ aliquo ſollemni Feſto populo oſtenduntur, Sacerdos earum oſtenſor ſuperpelliceo, ſtola, & pluuiali indutus, luminaribus accenſis religioſa pietate ad ciendam populi deuotionem, vniuſcuiuſque Reliquiæ nomen vulgari ſermone proferat, & cum illis populum benedicat. Tunc verò ex

vaſculis

vaſculis, in quibus conditæ ſunt extrahantur, nec manibus tractentur; ſed in eodem vaſculo inſpiciendæ exponantur.

§. 7. In proceſſionibus, ſi quando ſacræ Reliquiæ ſunt deportandæ; ſi eæ ſint inſigniores, & apud populum multæ venerationis, deferantur à primo in Eccleſia dignitatem habente, ſuperpelliceo, ſtola, & pluuiali induto. Ad ægrotos autem prohibemus eas omninò deferri, quamuis cuiuslibet conſuetudinis prætextu. In Proceſſionibus deferendæ.

§. 8. Reliquiæ nouiter repertæ ab aliquo etiam exẽpto, vel Regulari, niſi prius à Nobis recognitæ, non publicentur, nec populo venerandæ proponantur; vt Nos adhibitis ex Tridentini Concilij præſcripto, in conſilium Theologis, & alijs pijs viris, ea, quæ pietati, ac veritati conſentanea videbuntur, decernere circa illarum venerationem poſſimus; ne quid ſuperſtitioſum, & Chriſtianæ pietati contrarium admittatur. Reliquiæ nouæ. Seſs. 25. de Reliquijs.

§. 9. Si quæ per Diœceſim noſtram corpora venerantur Beatorum authoritate Apoſtolica non dum in Sanctorum numerum adſcriptorum; Feſtiuitas de illis, vel de illorum Reliquijs non celebretur, nec illæ populo oſtendantur, Nobis inconſultis, vt in re tanti ponderis, etiam à ſede Apoſtolica, quid agendum ſit, requiramus. Reliquiæ beatorum nõ ſolum Canonizatorũ.

De Sanctorum Imaginibus.

CAP. XIII.

NE vnde Religionis, pietatis, & morum exempla ſumenda ſunt, ad irriſionem, laſciuiam, & contemptum fideles Chriſti moueantur; ſtatuimus, Nullas in futurum pro quibuſuis Eccleſijs, & locis pijs depingi, ſiue apponi imagines, quæ prius à Pictoribus delineatæ Nobis præoſtenſæ non fuerint, vt ſi quid in illis diſpli- Imagines ab Epiſcopo recognoſcantur.

cuerit,

cuerit, vel pro diuini cultus augmento apponendum placuerit, cenſeamus.

Quòd ſi abſque licentia noſtra aliquas in futurum inuenerimus depictas figuras, & in Eccleſia, aut pio loco collocatas, & illæ amouebuntur, & Eccleſiæ Rector, & earum author, & qui eas pingi, vel apponi fecerit, ſeuerè punietur à Nobis.

Pro Pictoribus.

§. 2. Pictoribus graues comminamur pœnas, ſi quid profanum, aut inhoneſtum, vel habitu, cultu, aut aliqua corporis parte laſciuum in Eccleſijs pinxerint; hortamur autem eos vt ita Sacras effingant imagines, quòd ad pietatem, & charitatem aſpicientes excitent. Nihil veritati Scripturarum, aut Eccleſiaſticis hiſtorijs inconſonum; Nihil vulgo traditum, ſed ab Eccleſia non approbatum. Non Ethnicorum, & profanorum hominum imagines; Non iumentorum, canum, aliorumuè brutorum effigies pingant.

Imagines paruæ Angelorum, vel quorumcumque Sanctorum, quæ laſciuientes, magis vanitatem, aut offenſionem, quam deuotionem exhibeant, in Eccleſijs non habeantur.

Diligentia pro ſeruandis imaginibus.

§. 3. Omnibus Eccleſiarum Rectoribus mandamus, quòd omnium ſacrarum imaginum in Eccleſia exiſtentium curam ſedulam habeant, & diligenti ſtudio illas à puluere, immunditijs, & humiditate ſeruent; Inſigniores verò ſanctorum imagines, decenti cooperiantur velo, cordula, cum fuerit opus, aperiendo; ne ſuper Altare pedibus aſcendere ſit neceſſe.

Vetuſtate collapſæ comburantur.

§. 4. Quæ Sanctorum tabulæ, aut imagines, fuerint vetuſtate collapſæ, detritæ, aut conſumptæ, ab Eccleſijs amoueantur, & crementur, cineréſq; earum in ſacrarium demittantur.

Ad quoſuis autem profanos vſus, nullatenus conuertantur.

Id quod pariter de ſacris libris noui, aut veteris teſtamenti;

menti: & de Sanctorum Patrum voluminibus, ſcriptiſq; quibuſcumq; Eccleſiaſticis vetuſtate detritis, obſeruetur: Non autem ad ſordidum, vilémque vſum tradantur.

§. 5. In ſummitate Campanilis Eccleſiæ cuiuslibet ponatur ſancta Crux, quam fideles aſpicientes, dominicam Paſſionem recolant, & quod hoc ſignum Crucis erit in Cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit. — Crux Domini.

In locis autem immundis, atque ſordidis, vel in ſolo, ſilice, marmore humi poſito Crux non effingatur, neque ſculpatur; ſi quas verò ijs locis effictas Cruces Rector repererit, illicò abolendas curet, & eradendas.

§. 6. In Proceſſionibus, & in exequijs Defunctorum, ac in alijs quibuſcumque opportunitatibus Vexillum Crucis à Clerico decenti habitu, & ſuperpelliceo induto, religiosè, & reuerenter deferatur; non autem à Laicis licèt habitu clericali, & aliquando vili, & ſordido indutis, in Clericalis miniſterij magnum dedecus. — Crux in Proceſſionibus.

§. 7. Noua miracula, quouis modo facta, quamuis certa videantur, à nullo, licèt etiam Regulari, & exempto, publicentur, iuxta Concilij Tridentini decretum, donec prius Nobis fuerint denuntiata, qui, quod veritati conſonum fuerit, ſtatuamus. Vbi autem vulgi concurſu, plebiſque rumore aliquid pro miraculo proclamatur; Parochus, vel Eccleſiæ Rector, niſi alia ratione populi tumultui obſiſtere poterit, Eccleſiam claudat, ne falſa pro veris recipiantur, & Parochus ea tolerando, comprobare cenſeatur. Nobis verò ſtatim, quæ contigerint, ſignificabit, vt donec de miraculi veritate certa habeatur cognitio, vulgi clamores conquieſcant. — Noua miracula. — *Seſſ.* 25.

De exorciſmis Eccleſiæ.

CAP. XIV.

Exorciſtæ cautiones.

NEmini etiam Regulari liceat à Dæmonibus obſeſſos exorcizare, niſi petita prius, & in ſcriptis obtenta licentia à Nobis, vel noſtro Generali Vicario. Et hæc, quæ ſequuntur, obſeruet, præter ea, quæ in Rituali inſinuantur. Curet primùm ſcire, quæ nam fuerit exorcizandi præterita vita: quales animi mores; & ſi fieri poterit, vt in primis peccata confiteatur.

An alicuius vi morbi, vel atræ bilis ea ſigna præſtet, quibus à Dæmone obſeſſus videatur. An hæc ſigna ſimulata ſint, & non vera; quod multoties, ex cauſa etiam turpi, mulieres egiſſe compertum eſt. An aliquo excommunicationis vinculo is, qui à Dæmone patitur fuerit ligatus, & nondum abſolutus; & tunc ante omnia, vt illi abſolutio impendatur, procurare debet.

§. 2. In Eccleſijs tantùm, & publicè; non autem in Laicorum domibus, ſuo munere fungatur Exorciſta: Non tamen in magna adſtantium frequentia: Sed aliquibus tantùm probis Viris aſſiſtentibus. Tunc autem ipſe maximam præſeferat religionem, & grauitatem, morùmque probitatem. Et in primis ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium deuotè celebret, Deùmque toto corde precetur, vt ad ſui gloriam, & ſanctæ ſuæ Eccleſiæ exaltationem, atque animarum ſalutem, hoc exorcizandi munus ſibi concedat, obſeſsòque liberationem.

§. 3. In exorcizando magna circumſpectione loquatur, & à verbis inconſideratè prolatis abſtineat, ne circumſtantibus ſcandalum, irriſionem, aut irreuerentiam ingerat, quando magis ad pietatem ſunt excitandi.

I Dum

Dum exorcizat Mulieres, caueat, nè abſque neceſſitate, & tunc maxima honeſtate, illis manum admoueat, ſiuè tangat.

§. 4. Alijs exorciſmis, ac ritibus, quam ab Eccleſia ſtatutis, aut probatis non vtatur: niſi licentia à Nobis obtenta: Summopere verò caueat, ne rebus ſuperſtitioſis, aut maleficijs vtatur. Si quis autem in hoc deliquerit, ſit ſtatim ipſo iure à diuinis ſuſpenſus, à Nobis aliòquin acerrimè puniendus.

De Eccleſiaſticis ædificijs.

CAP. XV.

TEmpla Domini, in quibus Eccleſia fidelium in vnitatem fidei congregata, ad perficienda quæ ſunt fidei conuocatur: quanto ornatu, ſplendore, ac ſanctitate ſint excolenda, hinc facilè dignoſcimus, quòd in illis Chriſtus Dominus nobiſcum habitat; Angeli adſtant: Sanctiſſimum Chriſti Corpus, & ſanguis adoratur, quorum cœleſti, ac planè diuina alimonia ſpiritualiter enutrimur: ibi Sanctorum Reliquiæ conſeruantur: Dei verbum euangelizatur: ſacra adminiſtrantur myſteria: Deo canuntur laudes, fidelium preces exaudiuntur, & delicta pœnitentium expiantur. Eccleſiæ Sanctitas.

Itaque vt (quod in nobis eſt) congrua reuerentia, & honore illa proſequamur, & à fideli populo religioſius frequententur, hæc ſtatuenda duximus, & ſancimus.

§. 2. Eccleſiæ ſint vndique liberæ à domibus Laicorum; nihil ipſis profanum adhæreat: & ſi quæ à domibus Laicorum feneſtræ in Eccleſiam proſpectum habent: quamprimum muro claudantur. A parietibus Eccleſiæ arbores procul ſint, ne vel radicibus murum Eccleſiæ ſint undique liberæ.

 offen-

offendant, vel Eccleſia humiditatem ex eis recipiat, aut tectis ſaltem officiant. Vites propterea, & hederæ penitus euellantur, & à rubis, & ſpinis Eccleſiæ parietes purgentur; Lapidum congeſtus, & maceries amoueantur ab eis.

Officinæ, & meretrices procul.

§. 3. Officinæ, & Tabernæ, præſertim verò animalium ſtabula propè Eccleſiam nullo modo permittantur. Nec liceat meretricibus propè Eccleſias, aut Monialium, ſiue Fratrum Regularium monaſteria habitare: neue Parochus id vllo pacto permittat. Quod ſi monitæ diſcedere noluerint, Nobis Parochus ſignificet, vt exilij, & fuſtigationis pœna, durante contumacia, mulctentur.

Immunditiæ procul.

§. 4. Iuxta Eccleſię parietes non permittat Parochus turpe quid, atque ſordidum fieri, aut deponi: Sed locus omnis circum ab vrina, cæteriſq; immunditijs præſeruetur; Sicut & ipſius Eccleſiæ atrium, & Cæmeterium, quibus iiſdem in locis nihil venale proponi concedatur.

Titulus Eccleſiæ in frontiſpicio.

§. 5. In vniuſcuiuſque Eccleſiæ frontiſpicio à parte ſuperiori oſtij maioris, extrinſecus pingatur aliqua Sanctorum effigies, præſertim ſancti illius, in cuius honorem Eccleſia eſt dicata: his cuique notis additis.

Eccleſia Sancti N.

Quæ ſi Parochialis ſit, ſcribatur in hunc modum.

Eccleſia Parochialis Sancti N.

Feneſtræ obuelandæ.

§. 6. Quoniam verò in quibus Eccleſijs feneſtræ latè patent, introeuntia animalia (vt hirundines, & columbæ) immunditijs Eccleſias fœdant; omnium Eccleſiarum feneſtræ craticulis ferreis, & vitreis oculis, ſi per Eccle-

ſiæ facultatem licuerit, muniantur. Sin ſecus, panno lineo ligneis pedaminibus affixo decenter claudantur.

§. 7. In qualibet Parochiali Eccleſia loco idoneo, atq; conſpicuo Suggeſtus pro Concionibus cõſtruatur: vnde populo Euangelium, & Dei verbum annuntiari poſſit. Suggeſtus.

§. 8. Sedilia, aut ſcamna mulierum in Eccleſijs, vel ex Eccleſiæ redditibus, vel ex pecunijs aliunde paratis fiant ad publicam commoditatem, vt mulieribus omnibus ſint communia; Vel ſi quæ à priuatis perſonis fiant, nullum certum habeant locum, ne aliqua præſumat ſibi in Eccleſia quaſi ius certi loci, ſed quilibet locus ſit ſemper prioris occupantis. Item non habeant aſſem inferiorem pro genuflexione; & ſi quæ tale genuflexorium habeat, tollatur. Scamna mulierum.

Quòd ſi quandoq; pro particularium ſcamnis contentio eueniat, omnia ſedilia mulierum, quæ communia non ſunt, extra Eccleſiam remoueantur.

§. 9. Confeſſionalia loco patenti in Eccleſia conſtituantur, vt ab omnibus videri queant. Et Confeſſarius loco ſuperiori, pœnitens verò loco inferiori, ita vt altare maius reſpiciat, collocetur. Confeſſionaria.

Apponantur autem in omnibus Eccleſijs, in quibus Confeſſiones audiuntur, plura Confeſſionalia pro numero Confeſſariorum. In quibus paruula feneſtra lamina ferrea paruis foraminibus terebrata conſtruatur. Super quam à parte pœnitentis imago Chriſti Domini Crucifixi, à parte verò Confeſſarij, Litteræ proceſſus die Cœnæ Domini ſingulis annis editæ, & Tabella Caſuum, quos Nobis reſeruamus, appendantur.

§. 10. Cauſa colligendæ eleemoſynæ, in Eccleſia, vel Oratorio quocumque non locentur capſulæ quouis prætextu, abſque Noſtra licentia, vt Nos pro illarum diſpenſatione, quod erit expediens, ſtatuamus. Capſula eleemoſynarum.

§. 11. Ne profanum aliquid in Eccleſia committatur, curet Parochus, & qui primum habeat in Eccleſia dignita- Eccleſiæ fores quando claudendæ.

dignitatem, vt de mane tempore opportuno, quando fideles adueniunt, aperiatur: Et poſtmodum hora per diem competenti, quando nullus in Eccleſia aduenire ſolet, claudatur, iterum (ſi opus eſt) aperienda. De ſero autem hora congrua obſeretur: vt de nocte numquam aperta maneat, quamuis deuotionis ergò frequens ad eam haberetur concurſus.

Quæ Altaria deſtruenda.

§. 12. Oratoria, Sacella, ſiue Altaria etiam de Noſtra licentia legitimè conſtructa, niſi ab ijs, ad quos pertinent, integra, & clauſa ſeruentur: Altaria item indotata, niſi decenter mappis, & pallijs cooperta, alijſquè neceſſarijs rebus ornata fuerint: poſt vnam, & alteram monitionem, iuſſu noſtro diruentur.

Noua Eccleſia.

§. 13. Noua Eccleſia, vel priuatum Oratorium, licentia prius à Nobis non obtenta, à nemine ædificetur: nec Parochus intra ſuæ Parochiæ fines id permittat, vt quæ ad perpetuam illius conſeruationem, & honeſtatem pertinent, ſtatuere valeamus.

Eccleſiæ reparandæ:

§. 14. Eccleſiæ vetuſtate conſumptæ, & iam dirutæ, ſi per ipſarum facultates licuerit, infra annum reparentur; Sin minus, Rectores dicto tempore ad Matrices Eccleſias illarum titulum referant: quod tamen prius nobis exponant. Et qui hoc adimplere neglexerit, durante contumacia, etiam priuationis beneficiorum pœna puniętur.

De materia Eccleſiæ.

§. 15. Cæmenta, lapides, tigna, & omnia Eccleſiæ dirutæ materia, ad aliquem profanum vſum, abſque noſtra licentia, non transferantur: vt Nos de his, quod magis expediat, ſtatuere valeamus. Et pecuniæ, quæ inde proueniunt, in Eccleſiæ vtilitatem erogentur; non autem illas ſibi Rector aſcribat.

De ædibus Curatorum.

§. 16. In ædibus Eccleſiæ ad Curatorum habitationem conſtructis, ſpectacula, ludi, Comediæ non recitentur: Mulieres præter Matrem, & Sorores, in illis non habitent, nec nuptiarum cauſa choreæ ducantur.

De

De Altaribus.

CAP. XVI.

Licèt Eccleſia Dei tota ſit Sancta, & in omnibus ſacra; in ea tamen ſanctiſſimus, atq; ſacratiſſimus locus eſt Altare, in quo per Sacerdotes Agnus innocens Chriſtus immolatur, ac populo diſtribuitur; vt de Altaribus ſpecialis habenda ſit ratio; Igitur de ipſis hæc infraſcripta ſtatuimus. — *Altaris ſanctitas.*

§. 2. Altaria omnia ſint lapidea, & concauitates, aut foramina pro aliquibus recondendis non habeant; Eorum altitudo ſit à ſcabello ligneo ſuppedaneo duorum cubitorum, & vnciarum octo; Longitudo ſaltem quatuor cubitorum; Latitudo duorum cubitorum. Altare portatile ſit congruæ magnitudinis, non ligneum, ſed lapideum. Id verò ſic in altari inſeratur, vt nihil prorſus ab eo emineat, quò effuſionis pericula euitentur. — *Altaria quomodo conſtruenda.* — *Altare portatile.*

Suppedaneum Scabellum, quod Bradellam vocant, ligneum ſit, longitudinis eiuſdem cum Altari, latitudinis duorum cubitorum. — *Scabellum.*

§. 3. Armariolum prope Altare à parte Epiſtolæ conſtruatur in pariete, tranſuerſali tabula, aut lapide diſtinctum, ad peluim cum vrceolis, in ſuperiori parte, in inferiori verò ad aquam ablutionis manuum celebrantis proijciendam. — *Armarium prope Altare.*

§. 4. Hæc ornamenta ſingula Altaria habere ſemper debent; Crucem in primis decentem, duo candelabra, emunctorium, puluinaria duo; Tabellam ſecretorum Miſſæ, mappas minores duas, & vnam maiorem; pallium, & bradellam. Tabella verò ſecretorum Miſſæ, expleto ſacrificio non erecta maneat; ſed demiſſa, & mappa recondatur. — *Altaris ornamenta.*

Altarium diſtantia.

§. 5. Altaria adeò inter ſe diſtent, vt ſi fortè eodem tempore in pluribus eorum celebretur, non ſe Sacerdotes perturbare vocibus poſſint, aliòquin deſtruantur, & eorum tituli in altari vno transferantur.

Altaria ubi nõ permittenda.

§. 6. Altaria ſub ſuggeſtu, vel organo non ædificentur, & ſi quæ ſunt, deſtruantur: ſicut, & quæ columnis adhærent, aut ianuis nimium propinqua. Quorum tituli ad alia Altaria commodiori loco exiſtentia transferantur, in quibus eorum oneribus ſatisfiat in poſterum. Si quæ autem extra Eccleſiam Altaria ſunt, diruantur: quòd ſi conferantur in titulum, præſcripta in ſuperioribus cautio de translatione habea tur.

De Sacriſtia, & de Veſtibus Sacris.

CAP. XVII.

Sacriſtiæ. Altare. Oratorium.

IN cuiuslibet Eccleſiæ ſacriſtia habeatur Altare decentibus figuris ornatum: de quo Sacerdos celebraturus paramenta, calicèmque ſuſcipiat: Oratorium cum imagine ſanctiſſimi Crucifixi, & genuflexorio, vbi Sacerdos antè, & poſt Miſſam orationi aliquantulum incumbat: & in ipſo affigatur tabella pro ſoluendis orationibus: Lauacrum item cum vaſe apto pro manibus celebraturi abluendis: & mappa munda pro abſtergendis.

Lauacrum.

Armaria.

Armarium ſacrorum indumentorum, & quorumcumque pro Miſſa, & Eccleſiaſticis officijs, vtenſilium varijs, ac ordinatim diſtinctis armariolis fabrefactum.

Archiuium.

Aliud etiam armarium, ſiue Archiuium, in quo Parochiales libri, Rituale item, & illius Eccleſiæ iura, inſtrumenta, & quæcunque ſcripta diſtinctè conſeruentur, claue, ſera, & peſſulo munitum, cuius clauis à Rectore tuto loco ſeruetur.

§. 2. Cum

§. 2. Cum Sacerdotali indumenta diſciplinæ Eccleſiaſticæ ornamenta ſint, & quædam dignitatis inſignia quibus Deo ſacrati, à cæteris hominibus dignoſcuntur: ſummopere ad illorum conſeruationem, & munditiam eſt nauandum. Ligneis igitur armarijs iuxta Eccleſiæ poſſibilitatem conſentaneis recōdantur, appoſitè complicata, & appoſitè diſtributa; Sæpiùſq; reuiſentur, explicentur, & à puluere, immunditijs, præſertim verò à tineis excutiantur. Veſtium Sacrarum Cuſtodia.

§. 3. Magna adhibeatur à Sacriſtiæ cuſtode diligentia, quòd ſacræ Veſtes, vaſa, & quæcumque Sacrificio Miſſæ ſunt neceſſaria, munda exiſtant: potiſſimum verò Calices, corporalia, purificatoria, & pallæ, & mappæ pro manuum abſterſione: Ne Calices à pede titubent, ne patenæ inquinatæ. Neue quis vtatur veſtibus, vel alijs quibuſcunque Miſſæ vtenſilibus non benedictis. Atque Munditia.

§. 4. Omnium autem paramentorum, & vtenſilium fiat quàmprimum exactum inuentarium, cuius copia Nobis tradatur; in quo quantitas, & qualitas cuiuſuis generis paramenti, illiuſq; color, & ornamentum deſcribatur: item quæ recentia, vel quæ vetuſta adnotentur. Hoc inuentarium in libro extenſum conſeruetur ſemper in prædicto Sacriſtiæ Archiuio: vt ſacræ Veſtes miniſtrorum negligentia non pereant, non ſurripiantur, ſed illibatæ ſeruentur: Et ſi quæ cæperint aliqua ex parte laxari, mox reficiantur: ne quando laceratæ apparentes ſcandalum pariant. Inuentarium.

§. 5. Puluinaria pro Altaribus ad Miſſæ Sacrificium dicata ad profanum quoduis vſum non applicentur, nec quidem pro genuflexione cuiuſuis perſonæ quacunque dignitate fulgentis: Sed Altari tantum inſeruiant. Vbi verò oportet, habeat Eccleſia pro Nobilium, qui conuenire ſolent, genuflexione, alia puluinaria ad hoc parata. Puluinaria.

Res Eccleſiæ ad profanum vſum nō conferendæ.

§. 6. Pallia, & quæcumque alia Sacra indumenta, ſeù paramenta, ad profanum vſum nullo pacto vnquàm exhibeantur: neque ad parandas ſedes cuiuſuis perſonæ etiam Eccleſiaſticæ. Item Eccleſiæ quæcumque bona mobilia, vel ad ornatum comparata, aut Sacris myſterijs dicata, nullo prætextu, ſiue occaſione, licèt Nuptiarum, vel aduentus Magni Domini, Laicis dentur mutuo. Si quis autem in hoc deliquerit, pœna carceris, & alijs arbitrarijs punietur à Nobis.

Similiter, quæcumque veſtes, & ornamenta, quibus Sacræ imagines operiuntur, aut quandoque induuntur, profanis nullis vſibus accommodentur. Sicut neque Sacras imagines pro quacumque Sollennitate Laicalibus veſtimentis tegi, concedimus.

Laicus ſi veſtiatur Sacris.

§. 7. Laicus, qui in contemptum, aut deriſum, Clericales, ſiue (quod maius ſcelus eſt) Sacras induerit veſtes: à culpa commiſſa non erit abſoluendus, niſi pœnitentia publica illi iniuncta.

De Campanis.

CAP. XVIII.

Campanæ.

§. 1. Campanarum funes non pendeant extra Eccleſiam, & Campanile ianua lignea, cum ſera firma, peſſulo, & claui clauſum maneat, cuius clauis ab eo, cui Campanas pulſandi onus incumbit, cuſtodiatur, ne profana, aut immunda in Campanili committantur.

Duæ.

Benedicendæ.

Habeat autem quælibet Parochialis Eccleſia duas ſaltem Campanas, quarum pulſatione varietas Sollennitatum, & Officiorum dignoſcatur. Non tamen in Campanili appendantur Campanæ, quouſque à Nobis fuerint benedictæ.

§. 2. In Cathedrali, Collegiatis, & Parochialibus Eccleſijs, dum in Maiori Miſſa Corpus Domini eleuatur, Campanæ ſignum detur, vt fideles, qui ſacrificio non interſunt, tamen adorent, Paſſionis Chriſti recordentur, gratias agant, precéſq; Deo effundant: qui verò Miſſæ adſtant, magis ad pietatem excitentur. Ad eleuationē.

§. 3. Mane die incipiente, & iterum circa mediam diem, iterùmq; veſperi Sole Occidente, triplici ſonitu pro qualibet vice aduertat Parochus, vt Campana maior pulſetur ad Salutationem Angelicam, vt vulgò dici conſueuit, *All'Aue Maria*: quò fideles ſæpiùs orent, & de Incarnationis Dominicæ beneficio gratias agant. Atque iterum circa primam noctis horam ſignum Campanæ detur pro pijs fidelium defunctorũ animabus oratione iuuandis.

§. 4. Die Sabbathi Sancti, quòuſque in Cathedrali Eccleſia, vel Matrici pro locorum diuerſitate, Campanæ pulſentur, nullæ aliæ Eccleſiæ, quamuis Regularium, ſuas Campanas pulſent.

§. 5. Non permittat Parochus, quòd Laici pro quibuſuis rebus profanis, Campanis Eccleſiaſticis vtantur, puta, pro conuocando populo, aut conſilio, pro edendis ſpectaculis, aut choreis ducendis, & huiuſmodi. Quòd ſi in hoc deliquerit Parochus, à Nobis grauiter punietur. Non ad profana pulſanda.

§. 6. Quamuis non deceat ad pulſandos horarum ictus Campanis Eccleſiaſticis vti: ſi quæ tamen ad hoc permittuntur: horologij rotæ, atque pondera adeò longè ab Eccleſia locentur: vt rotarum ſtrepitus in Eccleſia non audiatur: neque ponderum caſus immineat. Pro Horologio.

De Diebus Feſtis.

CAP. XIX.

§. 1. QVia publicis peccatis quandoq; Deus publica decernit ſupplicia; atque ea de cauſa recto Dei iudicio, pluriès peſtilentiæ, rerum ad victum pertinentium penuria, bella, inundationes, aliaq; flagella nobis accedunt: ideò ad hæc mala (quod in nobis eſt) à Noſtris his aliòquin abundè calamitoſis temporibus, propellenda; fideles omnes in Chriſto nobis ſubiectos, tamquam chariſſimos filios, hortamur, & obnixè rogamus, vt diebus ſaltem feſtiuis, ſupplicationibus, cæteriſq; pijs operibus Domino famulantes, Dei clementiam, & pietatem impetrare nitantur; eòſque dies integros ad Dei laudem, & gloriam, ac ſuam ipſorum ſalutem impendere ſtudeant.

Dierũ feſtorũ obſeruatio.

Nos itaque pro munere noſtro ſtatuimus, & iubemus, dies feſtos ab Eccleſia indictos, vel de conſuetudine ſeruari ſolitos, ab omnibus debito honore cuſtodiri. Huius autem rei cura ſit Parochi, vbi Vicarij noſtri Foranei non fuerint; vt vnuſquiſque his diebus ab omni ſeruili opere abſtineat, Eccleſias frequentet, Orationi, ac Dei laudibus incumbat.

Liber feſtorũ dierum.

§. 2. Feſtos dies, de cuius liber loci conſuetudine in noſtra Diœceſi cuſtodiri ſolitos, Parochus in libro ſcribat; nec non feſtos illos dies, de quibus ſpecialia fiunt officia in Kalendario Romano non deſcriptos; cum annotatione, an Duplices, vel ſemiduplices ſint; quo die celebrantur, & qua cauſa inſtituti; & quo tempore. Cuius libri copiam ad Nos tranſmittat: Liber verò in Archiuio Sacriſtiæ conſeruetur.

Pœna contra violatores Feſtorum.

§. 3. Parochus contra dierum Feſtorum violatores, ad pœnas Edicto publico per Nos de Obſeruatione feſto-

ſtorum promulgato contentas, procedat, nulla perſonarum, vel ſexus habita ratione; vt qui Deum non timent, pœnis arceantur. Edictum verò prohibet dierum feſtorum ab Eccleſia, vel ex probata conſuetudine præceptorum violationem; videlicet abſque Noſtra, vel Vicarij noſtri licentia opus ſeruile exercendo; apothecas reſeratas habendo, vel res venales, quæ non licent, quomodocumque exponendo; aut onera cum iumentis vehendo; ſub pœna ſcutorum viginti, præter mercium, & iumentorum vehentium amiſſionem; alijs pœnis noſtro arbitratu infligendis.

§. 4. Feſtiuis diebus Nundinæ, & Mercatus, vel Emporia quouis loco quauis cauſa, niſi poſt Sollennem Miſſam peractam, fieri non permittantur: nec aliquid proponatur, aut ematur venale; præter id, quod ad victum illius diei ad minutum, vel pro ægrotis fuerit neceſſarium Officinæ non habeantur apertæ, niſi ſaltem poſt Miſſæ Sollennis celebrationem: & quas domini inhabitant, earum tantùm paruum oſtiolum aperiatur. Nundinæ, & Mercatus.

Quòd ſi quando Mercatus, aut Nundinæ in diem feſtum inciderint, in præcedentem, aut ſubſequentem diem, vt commodius viſum fuerit, transferantur.

§. 5. Circulatores, & huius generis Nebulones, ridicula, aut vana ſpectacula per plateas frequenti populo, ſub pœna carceris arbitrio noſtro, non exhibeant feſtis diebus, die Veneris, tempore Quadrageſimæ, & Aduentus; Nec Parochus vllo pacto prædictis diebus ea fieri concedat; niſi quandòque diebus feſtiuis poſt Veſperas. Spectacula nebulonum.

§. 6. Prandia, & commeſſationes diebus feſtiuis fieri ſolitas, omninò tollimus, & abolemus; necnon quæcumque ſolita in bibendo, vel aliter ientacula, procænia, & ſaccareas menſas, aut elargitiones cuiuſuis generis; puta panis, vini, piperis, vel alterius rei. Id autem, quod Eccleſiarum Rectores in huiuſmodi comeſſatio- Comeſſationes tolluntur.

tio-

tionibus, aut elargitionibus impendere conſuerant, Altarium ornamento à Nobis applicatum ſciant; quod vt obſeruetur, cura ſit Sanctesium. Poſſint tamen ad officia de longè vocati aduenientes, in domibus Sacerdotum honeſtè cibum ſumere.

De Ieiunijs.
CAP. XX.

A quibus abſtinẽdum Ieiunij tempore.

§. 1. Qvi legitimè à ieiunio non excuſantur, Ieiuniorum diebus omninò omnes abſtineant, & à carnibus, & ab his, quæ ex carne originem trahunt, videlicet, ab ouis, lacte, caſeo, butyro, & ſimilibus. Qui verò aliqua de cauſa Ieiunium ſeruare nequeunt, fidem Medici Phiſici Nobis, ſeù noſtro Vicario, & vbi Vicarius non eſt, Parocho exhibeant de ſua infirmitate, vt licentiam à Nobis obtineant veſcendi carnibus. Parochus tamen hortetur, & moneat eos, qui veſcendi carnibus facultatem habent, ne publicè, aut cum domeſticis, ſed ſeparatim, & ſoli eas comedant, ad neceſſitatem, & non ad ingluuiem; ne cæteris ſcandalum fiant.

Licẽtia veſcẽdi carnibus quibus, & à quibus habenda.

§. 2. Ieiuniorum temporibus, & præſertim Quadrageſima, quàmuis ad ægrotantium vſum, carnes non exponantur venales, nec vendantur à quoquam abſque noſtra, ſiue noſtri Vicarij, licentia. Qui autem eas vendendi licentiam habent; nemini illas tribuant, qui eandem licentiam noſtram, vel noſtri Vicarij, in ſcriptis non exhibeant. Verùmtamen non publicè, ianuiſque patentibus eas vendendas proponant, ſed Ianuis officinæ maiori ex parte clauſis: Et non cuiuſuis generis carnes exhibeant, ſed eas tantùm, quæ ægrotantium curæ accommodantur.

Carnes venales.

Cæteri verò qui prædictis diebus, cibos prohibitos

coquere, aut aliàs ad eſum parare, vendere, aut emere, vel comedere auſi fuerint, ſeuerioribus pœnis, vt iuris eſt, punientur.

§. 3. A ferarum venatione, & aucupio Quadrageſimali tempore omnes abſtineant. Vt quando veſci carnibus eſt interdictum, carnes non inſectentur: ſed Ieiunijs potius coniungant orationes, atque eleemoſynas. Relegentur pariter ijs diebus choreæ, conuiuia, atque tripudia: & afflictioni, caſtitatis, & pœnitentiæ potiùs præſtent fideles. — Venatio, & aucupium inhibentur.

De Diuino Officio ſoluendo, Cantu, & Organo.

CAP. XXI.

§.1. Diuinum Officium in Eccleſijs Collegiatis vnoquoque die, ab ijs, qui ad id tenentur, pro dierum vel ferialium, vel feſtorum qualitate legatur, vel cantetur, & ſingulæ horæ opportunis temporibus exoluantur. — Diuinum Officiũ quomodo dicendum in Choro.

Et cum Dei Miniſtro, vt diuinis Laudibus, & Orationi pro populo apud Deum excubet, eleemoſynæ, atque redditus ad vitæ ſuſtentationem contribuantur; ideò Clerici Officij ſui memores, ſingulas horas quotidie, Nocturnas pariter, & Diurnas, deuotè, attentè, diſtinctè, atque intelligibiliter pronuncient, non verſus ſyncopando, ſed verba omnia clarè proferendo, vt quod dicunt, intelligant: quæ verò ſint à Canonicis ſpecialiter in hoc præſtanda, ſuo loco tradetur.

§.2. Qui Officium priuatim Clericus recitat, in actibus exterioribus ſe interea vel alteri loquendo, vel aliud quidpiam operando, non occupet; ſed mente libera recitationi ad vſque finem intendat. Et Officij recitatione, — Quomodo priuatim.

ne, completa, flexis genibus aliquantulum precetur Deum, vt mentis diſtractiones, negligentias, ac quoſcunque defectus in Officio exoluendo commiſſos ſibi dimittat.

Breuiarij Romani ritus.

§. 3. Qui ad diuini Officij recitationem, vel iure Beneficij, vel ratione Ordinis obligantur, illud integrum ad præſcriptam Breuiarij Romani formam exoluant; nec alios ritus ſub quouis prætextu, quàm in eodem Breuiario annotatos obſeruent. Qui ſecùs egerit, oneri ſuo non facit ſatis, & idcircò ad reſtitutionem fructuum, ſi beneficium obtinet, tenetur, pœnâſque aliàs in Bulla Pij V. appoſitas incurrit; & à Nobis præterea ſeuerè erit puniendus.

Non recitans, fructus demeritos nō applicet ſibi.

§. 4. Qui beneficium Eccleſiaſticum obtinens, ab Officij recitatione ceſſando, fructus non facit ſuos; ſed eos pro rata temporis, pauperibus, vel Eccleſiæ, cui deſeruit, erogare tenetur; aduertat, quòd ſalua conſcientia, ſibi ipſi eos minimè applicare ipſe poteſt.

Officia ex legatis pijs non prætermittantur.

§. 5. Et quia Chriſti fideles à pijs Eccleſiarum legatis, & Altarium dotationibus præcipuè retrahuntur, ſi pias teſtantium mentes debitis obſequijs fraudari videant; ideò qui iure beneficij, vel alia quacumque ratione ad Miſſarum celebrationem, vel aliorum diuinorum Officiorum recitationem obligantur; ſuis oneribus ſatisfacere nullatenus prætermittant: Quòd ſi pluriès in hoc deliquerint, contra illos etiam beneficij priuatione procedemus.

§. 6. In Collegiatis autem, qui omiſerit cantare Miſsā ex pio legato debitam, ad quam tenetur, amittat fructus eo die à ſe percipiendos, ac ſi abeſſet à Choro per diem. Qua in re Punctatoris conſcientiam oneramus.

Pro Concione audienda.

§. 7. Tempore Quadrageſimæ, dum à Prædicatoribus manè Conciones habentur, omnes artifices ab operibus manualibus abſtineant, Apothecas claudant, & ad Eccleſiam pro Dei Verbo audiendo conueniant.

Quo

Quo eodem tempore, cæteriſque diebus, quando Dei Verbum annuntiatur de mane, in nullo foro, niſi poſt diuinum Officium, atque Concionem expletam, Ius dicatur, nec reddatur: cæterique actus iudiciales non exerceantur. Quòd ſi Iudices Laici huic noſtro mandato parere contemnant, Vicarij noſtri Foranei, vel Parochi Nobis ſignificent, vt inobedientes, etiam excommunicationis afficiantur pœna.

§. 8. Cum in alicuius Eccleſiæ feſtiuitatem plures conueniunt ad diuina recitanda officia, Clerici, atque Sacerdotes: ea modeſtia, & religione ſe gerant in Eccleſia, vt exemplo bonorum operum, & deuotione ſua populum, qui tunc frequens adeſſe ſolet, ædificent: non autem vanis locutionibus, leuibùſque actibus ſcandalizent; & in Choro ſuperpelliceo induti orationi incumbentes debita grauitate permaneant. Pro Feſtiuitate Eccleſiæ.

De Cantoribus.

§. 9. Quoniam ex vnanimi vocum conſonantia, & ſuaui canentium modulatione audientium mẽtes ad deuotionem valdè excitantur; ideò quæ per Cantores dicenda in Choro ſunt, conſona vocum grauitate recitentur: idquè Cantores maximè caueant, ne diſſonæ voces vel tumultuoſæ audiantur.

§. 10. Profana, impura, & quæcumque Sanctitati, aut deuotioni aduerſantur, cantui, non miſceant: ſed omnia, quæ canunt, pietatem, puritatem, ac religionem reſonent. Et caueant interea à vanis inter ſe collocutionibus, & rumoribus: atque ſicut voce, ita animo concordes exiſtant. A Cantoribus vitanda.

§. 11. In Eccleſijs, in quibus Clericorum inopia, Laici Cantorum funguntur Officio, hi dum Eccleſiæ deſeruiunt in Choro, vel vbicunque cantando verſantur, Laici Cãtores.

 Cle-

Clericalem habitum deferant, & ſuperpelliceo vtantur; & Laicali veſte nunquam omninò hoc præſtent Officium.

Magiſter Muſicæ.

§. 12. Magiſter Muſicæ in omni Collegiali Eccleſia præſertim verò in inſignioribus conſtituatur: & in quibus nunc eſt, conſeruetur. Ad quod munus, qui idoneus ſit, atque huiuſce artis peritus eligatur: ne vbi ad pietatem audientium animi, cantus ſuauitate ſunt excitandi, ad riſum potiùs diſſonis vocibus prouocentur. Et abſque huius Muſicæ Magiſtri licentia, Cantores à Choro diſcedere non poſſint: aliòquin portionem ſuam pro rata illius diei ſibi debitam non percipiant.

De Organo.

Organiſta.

§. 13. Qui pulſandi Organi præeſt Officio caueat, ne quid impurum, aut laſciuium, ſeculares cantus, turpes, & amatorias cantiones ſonare audeat: ne vndè auditores ad deuotionem ſunt alliciendi, ad inhoneſta excitentur, & aures tantùm vulgi demulceantur. Qui igitur in hoc deliquerit, & Officio pulſandi Organa ſit ipſo facto priuatus, & alijs etiam pœnis grauiter punietur à Nobis.

§. 14. Nobis Eccleſiam intrantibus ad Miſſam, aut Veſperas recitandas, ſiue audiendas, graui, ac dulci modulamini Organiſta tunc Organa pulſet, donec Orationem ad Altare perfecerimus, & ad ſedem noſtram in Choro peruenerimus.

De Eccleſiæ Cæremonijs.
CAP. XXII.

§.1. CÆremonias Mater Eccleſia ex Apoſtolica diſciplina, & traditione (vt Sacri Concilij Tridentini verbis vtamur) adhibuit, quo, & maieſtas Sacrificiorum commendaretur, & mẽtes fidelium per hæc viſibilia religionis, & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum contemplationem excitarentur. Ne itaque, vndè deuotio, & meditatio elici debet, irriſio, aut ſcandalum, ex illis malè actis, aut omiſſis oriatur, hæc decernimus, & mandamus. Seſſ.22. cap.5. Sacrarum Cæremoniarum vtilitas.

§.2. In Cathedrali Eccleſia Senogallienſi, in Collegiatis, tàm Ciuitatis, quàm cæteræ noſtræ Diœceſis omnibus, & in Parochialibus etiam Eccleſiis inſignioribus, Sacerdos aliquis probis moribus, & ſpectatæ vitæ li teris præditus, in Eccleſiaſticis ritibus,& Cæremonijs diù verſatus, deputetur; qui quoad vixerit, Magiſtri Cæremoniarum Officio fungatur; Et ſi is defecerit mox in illius locum alius ſubſtituatur, vt numquam Eccleſia Cæremoniarum Magiſtro careat. Inſtituatur Magiſter Cæremoniarum.

§.3. Is dum Miſſa Sollenniter decantatur, aut Veſperæ, vel quodcumque aliud diuinum Officium Sollenni apparatũ celebratur, in Eccleſia ſemper adſit præſens, & omnia ordinatim diſponat: & ne quid confusè, aut incongruè fiat, hinc inde circumſpiciendo, prouideat; priuatim etiam, prout expedire iudicauerit, omnes moneat. Curet inſuper, vt vnuſquiſque per ſe dicenda, aut gerenda in Eccleſia præmeditetur, ne quid poſtea in agendo erroris contingat. Illius Officiũ.

§.4. Huic Cæremoniarum Magiſtro, omnes Clerici, & Sacerdotes, quicumque ſint, & qualiacumque fulgeant dignitate in his, quæ ad rectam diuinorum Offi- Cæteri illi obediant.

ciorum celebrationem, recitationem, & Sacramentorum adminiſtrationem; atque Chori diſciplinam pertinent, obedire teneantur, ſicut & Nos, dum præſentes erimus, obedire parati ſumus. Et ſi quos ipſe ſibi inobedientes inuenerit Nobis annunciet, vt puniantur.

Rubricæ ſeruentur.

§. 5. Recognoſcat ipſe aliquando, an in Miſſarum celebratione Cæremoniæ ſeruentur, iuxta noui Miſſalis Rubricas, & quos errare inuenerit, moneat, & corrigat.

Hoc ipſum circa Sacramentorum adminiſtrationem præſtet. Et qui ab eo moniti, obedire neglexerint, Nobis ſignificet.

Cæremoniale nouum inducatur in vſum.

§. 6. At quoniam prodierunt in lucem Pontificale, Miſſale, Breuiarium, Cæremoniale, & Rituale Romæ nuper authoritate Clementis Octaui, & Pauli Quinti Summorum Pont. recognita: ea mandamus in vſum induci, ſublatis abuſibus, & incongruis conſuetudinibus, quæ temporum incuria irrepſerunt. Huic verò muneri præſertim Chori præfectos; Et Cæremoniarum Magiſtros præficimus.

De Proceſſionibs.
CAP. XXIII.

Proceſſio prius intimanda.

§. 1. CVm aliqua fuerit Proceſſio peragenda Parochus populum antea commoneat, vt vnuſquiſque aduenire velit, pro inſtantibus neceſſitatibus Deum precaturus, & de beneficijs receptis gratias acturus.

Directores Proceſſionis.

§. 2. Vt autem in Proceſſionibus omnia ad Dei laudem, & animarum ſalutem rectè dirigantur, probi aliqui deſignentur viri, quorum ſit onus, Laicorum Societates, ipſùmque Clerum ordinatim diſponere, ac dirigere; impedimenta Proceſſionis amouere: ne Laici Cle-

ricis miſceantur attendere; ac reliqua omnia, quæ ad Proceſſionis quietem pertinent, prouidere.

§.3. Collegiatarum Eccleſiarum Canonici, Præbendati, & Capellani: necnon cuiuſlibet Eccleſiæ Curatus, & Clerus ad Proceſſiones vocati conueniant induti ſuperpelliceis abſque pileo, ſed cum Bireto, niſi ventorum vis, aut pluuiæ inſtent: & Crucem deferant. Qui, & quomodo conueniant.

Cum peruenerint ad Eccleſiam, non per eam vagentur: ſed dum paratur proceſſio, orationibus incumbant: Regulares etiam omnes, ex præſcripta Concil. Trident. diſpoſitione, Laicorum pariter Sacerdotes, ad Proceſſiones publicas vocati accedere teneantur; vt Oratione publica, precibus, ſupplicationibus, & exteriori etiam religionis, & pietatis progreſſu Deũ venerantes, reliquũ populum ſuo exemplo ad deuotionem magis accendant. Seſſ. 25 cap 12. de Regula.

Qui autem huiuſmodi proceſſionibus intereſſe neglexerint, ſeuerè à Nobis punientur.

§. 4. In his Proceſſionibus illud maximè ſeruari cupimus, & hortamur, vt omnes maiori, qua fieri poterit, grauitate, ſilentio, ac deuotione bini in vnitatis, ac geminæ charitatis ſignum incedant, qua decet Dei miniſtros reuerentia, compoſitione, & pietate Pſalmos, atque hinnos canendo. Deuotio ſeruanda.

§ 5. Quicumque Proceſſioni interfuerint, tàm Clerici, & Regulares, quàm Seculares, ac Laicorum Societates, numquam ad vſque finem Proceſsionem deſerant: ſed omnes ſimul ad Eccleſiam, in qua Proceſsio terminatur, eodem ordine, quo proceſſerunt, reuertantur: & data à Superiori benedictione, in pace diſcedant. Ne qui diſcedat.

§.6. Proceſsio Sollennitatis Corporis Chriſti, fiat de mane ante prandium. In qua curet Parochus, vt in via Sanctiſsimæ Euchariſtiæ Sacramentum omnes adorent; Ita quod Mulieres non ad feneſtras expectent: Sed ſtatim atque Sacratiſsimum Corpus Domini propè earum domos aduenerit, non de ſuperiori loco proſpiciant, Pro Proceſſione Corporis Chriſti, & infra.

Sed

Sed deſcendant;& ex patenti ianua genuflexæ adorent: aut piè, & reuerenter Proceſsionem ſequantur.

§.7. In eadem Proceſsione per viam non permittantur exhiberi repræſentationes, quæ piè, & Catholicæ non ſint: nec aliquid vel oratione ſoluta, vel metro compoſitum recitetur, ne propterea qui Sacramentum defert, ad hæc audienda conſiſtere cogatur.

Pro Proceſſione exequiarũ.

§.8. In exequijs Defunctorum ſeruent Clerici ordinem Proceſsionis, & quicumque ad eas fuerint inuitati, vel quomodocunque conuenerint, ſuperpelliceis ſemper vtantur: aliòquin eleemoſynam nullo pacto recipiant.

Item illi Clerici qui mortuorum cadauera, per totam Proceſſionem non fuerint comitati, ſolitis eleemoſynis careant, quæ in mortuorum funeribus recipiuntur: Quòd ſi quis illas receperit, teneatur ad reſtitutionem.

De Indulgentijs.

CAP. XXIV.

Indulgentiæ ſunt ab Epiſcopo recognoſcédæ.

§.1. NVlli cuiuſuis Eccleſiæ Rectori, etiam exemptæ nulli quoque Regularium, nec Societatum Laicorum Confratribus, cuiuſuis priuilegij prætextu, Indulgentias ipſis quouis modo conceſſas etiam in ſuis Eccleſijs promulgare liceat: niſi prius illas coram Nobis oſtenderint, vt Nos ſeruata Tridentini Concilij forma, duobus de Capitulo Cathedralis Eccleſiæ noſtræ nobiſcum adhibitis, illas recognoſcamus, & legitimas approbemus, & populo oportunè publicandas decernamus.

Seſſ. 21. cap. 9. reform.

Non appendátur ad Capſulas eleemoſynarum,

§.2. Tempore Indulgentiarum litteræ patentes, quæ conceſſas Indulgentias continent, non affigantur, aut appendantur ad Capſam pro eleemoſynis colligendis paratam: ſed in Altari, vbi pro Indulgentiæ conſecu-

tione

tione oratio eſt conſtituta: vt ſic omnes intelligant, non ad quæſtum, ſed ad peccatorum ſatisfactionem, & alia pietatis opera Indulgentias concedi. Et ideò pro eleemoſynis capſa non collocetur in Eccleſia abſque noſtra ſpeciali licentia, & tunc non propè Altare vbi Oratio eſt ſtatuta, nec publicè in omnium oculis: ſed in decenti Eccleſiæ loco ſeparatim ponatur.

De reuerentia in Eccleſijs ſeruanda.

CAP. XXV.

§. 1. CVm Eccleſia Domus ſit Dei, & locus Orationis, nolumus in illa, vbicumque locorum ſit, aut intra, aut extra Ciuitatem, deambulari, ſtrepitus, aut clamores fieri, de mũdanis quemquam confabulari, ſecularia negocia agi, vniuerſitatum conſilia cogi, ſententias iudicij proferri, inſtrumenta rogari, iuramenta haberi, choreas duci, edi, aut bibi, ſiue quodcumque indecens tantum locum, quod vel diuina turbare poſſit officia, vel oculos Diuinæ Maieſtatis offendere, committi; ne, vbi peccatorum venia eſt poſtulanda, peccandi præbeatur occaſio. Præcipimus etiam, vt eſus, potus, cantus, choreæ non modo in ipſis Eccleſijs non habeantur: ſed neque circum eas intra ſpatium triginta pedum: ſub pœnis, quæ in Sacro Tridentino Concilio continentur, necnon alijs noſtro arbitratu addendis.

Ne profana in Eccleſia fiãt.

Seſſ. 22. cap. 1. reform.

§. 2. Prohibemus inſuper, ac expreſsè mandamus; ne in Eccleſijs, ligna, dolia, aut quæuis alia huiuſmodi ſupellectilia, quamuis ſint Eccleſiæ, aut Parochi retineantur: ſub pœna duorum aureorum pijs locis applicandorum. Colloquia verò, tumultus deambulationes, & profana omnia præſertim arceantur, cum Verbum Dei prædicatur.

Ne profana in Eccleſiam inferantur.

§. 3. Ante,

Rumores longè ab Eccleſia.

§. 3. Antè, vel propè Eccleſiam ludi non fiant, præſertim pilæ, vel ex quibus rumores prouenire ſolent. Arma quæcumque bellica, aſtæ, baliſtæ, & alia huius generis, nec in Eccleſiam inferantur, aut ne quidem ibi videantur, nec ad fores, vel parietes Eccleſiæ, quamuis extra eam apponantur. Quod vt inuiolabiliter ſeruetur, Parochus de mādato hoc noſtro ſæpè populum moneat. Si quis verò inobediens arma deferens dimittere nolit, Parochus ad Nos deferat.

Per Eccleſiam non mendicetur.

§. 4. Eleemoſynas à quoquam per Eccleſiam quæri non permittatur, ne propterea diuina turbentur officia: mēdici autem extra fores Eccleſiæ pro recipiendis eleemoſynis expectent.

Pro Eccleſiarum munditia.

§. 5. Iubemus tandem, vt quælibet Eccleſia ſaltem ſemel in hebdomada verratur, & ab immunditijs, atque pulueribus purgetur. Canes demum quandocumque Eccleſiam ingreſſi fuerint, expellantur.

De Cæmeterijs, & mortuorum Sepulturis.

CAP. XXVI.

Non ſepeliantur cadauera, niſi poſt ſaltē duodecim horas à tranſitu.

§. 1. Defunctorum cadauera poſt mortem cuſtodiātur domi inhumata cum luminaribus accenſis ſaltem per duodecim horas à tranſitu; nec vllo pacto permittat Parochus ea citiùs ſepulturæ tradi. Qui ſi à mortui cognatis, vel quibuſuis alijs ſollicitetur, vt citiùs concedat aliquem tumulari, nullo modo aſſentiatur, ſub pœna ſcutorum vigintiquinque pro qualibet vice, & alijs noſtro arbitratu iniungendis.

§. 2. Inhibemus defunctorum cadauera à conſanguineis ad Eccleſiam aſſociari; item prohibemus Octauo, vel alio certo die ab alicuius morte in Eccleſia publi-

bli-

blicos luctus agi: Sed Orationibus potius, atque eleemoſynis ſatagant parentes, aut cognati defunctorum animas releuare à purgatorij pœnis, ſi quas patiantur.

Non laudentur in funere.

§. 3. Statuimus non licere defunctum aliquem in funere laudare abſque noſtra licentia in ſcriptis obtenta: neque Parochus, vel quilibet alius aliter agat, vel fieri permittat. Adhortetur tamen eos, qui adſunt, ad humanam miſeriam meditandam, atque vigilandum, vt cum Dominus venerit, inueniat eos paratos.

Non recognoſcantur à Iudicibus.

§. 4. Mortuorum corpora ad Eccleſiam deportata nullo modo inſpici, aut recognoſci à Iudicibus, vel Notarijs maleficiorum, aut quibuslibet alijs curialibus Parochus permittat, etiam antequàm corpus ſepulturæ ſit demandatum; Et poſtquàm ſepultum fuerit, exhumari non concedatur, niſi de noſtra, vel noſtri Vicarij licentia. Quæ enim ad cædis recognitionem attinent, ab Eccleſia eſſe debent aliena: Qui ſecus egerit, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat, à Nobis tantum abſoluendus.

Locus ſepulturæ gratis concedatur.

§. 5. Quia interdum contingit, vt Eccleſiaſtici cupiditate lucrandi permoti, audeant mercedem petere pro loco ſepulturæ ad ſepelienda defunctorum corpora iamdiù in Eccleſia deputato (quem Cæmeterium vocant) quod eſt contra ſacros Canones: Idcirco ſtatuimus, & mandamus, vt locum huiuſmodi gratis concedant; nec non etiam gratis ſuo fungantur officio, & opus charitatis exequantur; nec pecuniam aut aliud quidpiam petant, præter id quod ſpontè, ac liberè in eleemoſynam illis offertur iuxta laudabilem loci conſuetudinem. Sacerdotes, cæterìque Eccleſiaſtici, qui ſecus egerint, pœnam à ſacris Canonibus conſtitutam ſubibunt.

De Aduenarum ſepultura.

§. 6. Viatores, peregrini, & aduenæ quicumque, qui Vrbem noſtram, non, vt incolant, adueniunt, ſi eos interea mori contingat nullibi ab ipſis electa ſepultura,

in Cathedrali ſepeliantur; Qui verò ad Vrbem ſe conferunt, aut ad alium noſtræ Diœceſis locum, vt ibi aliquandiù, etiam ad breue tempus habitent, in Parochia, in qua habitauerint, ſepeliantur, niſi ſepulturam ſibi ipſi alibi nominatim elegerint.

Sepulcra ſint murata, & os non emineat.

§. 7. In Eccleſijs, in quibus ex lapidibus muratis non ſunt conſtructa ſepulcra: aut ſi quæ ſunt, os lapideum non habent, quo obturentur, aut ſi habent, illud adeo eſt confractum, vt non benè claudat; Rector ipſarum à ſuæ Parochiæ populo, vel ab eis, quorum ſunt Sepulcra, infra terminum trium menſium, ex muratis lapidibus ea conſtrui curet, & ſano lapide obturari: aliòquin humo repleantur. Lapis autem, qui os ſepulcri operit, non promineat à ſolo, ſed Eccleſiæ planiciei adæquetur. Et in illo nihil omninò, abſque noſtra licentia ſculpatur. Quæ verò ſepulcra ſolum eminent, Rector Eccleſiæ quamprimùm aut deſtrui, aut ſolo æquari curet.

Longe ab Altaribus.

§. 8. Propè altaria non conſtruantur Sepulcra, & ſi quæ iam ſunt conſtructa, illorum ora ab Altaribus ſaltem tribus cubitis diſtent. Et quæ non ſic ſe habent, aut ita reſarciantur, aut terra repleantur.

Qui Eccleſiaſtica ſepultura careant.

§. 9. Prohibemus demùm, & omninò interdicimus, ne quis Sacerdos audeat in Eccleſia, aut in Cœmeterio ſepelire, vel ſepeliri permittere aliquem excommunicatum, interdictum, hæreticum, in ſingulari certamine occiſum, vel eum, qui ſibi ipſi mortem ex deſperatione conſciuerit: publicum blaſphematorem Dei, & Sanctorum, niſi pœnitentiæ ſigna euidentia dederit; nèue publicum vſurarium, furem, latronem, raptorem, niſi dum adhuc viuerent, ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo, quod in illis eſt, idoneè cauerint: Neque eum, qui ſaltem ſemel in anno ſua peccata confeſſus non fuerit, & in Paſchate Euchariſtiam non ſumpſerit, niſi tamen ad extremum vitæ contritionis ſigna oſtenderit: Nullos

denique

denique, qui in peccato mortali notoriè exiſtentes, deceſſerint abſque contritionis ſigno ſaltem in articulo mortis. Qui in hoc deliquerint, pœnis à Sacris Canonibus impoſitis, ſubiacebunt, & alijs arbitratu noſtro infligendis.

De Eccleſiæ iuribus, atque redditibus conſeruandis.

CAP. XXVII.

Cur Iura, & redditus Eccleſijs conſeruantur.

CEnſus, & redditus Eccleſiæ ad hoc ſunt elargiti, vt vbi quotidianæ eleemoſynæ ad Eccleſiarum neceſſarias impenſas, & miniſtrorum vitam ſubſtentandam non ſufficiunt, redditibus, & proprijs Eccleſiarum iuribus ſuppleatur: Indè Eccleſiæ, quæ, vel in partem, vel in totum reparatione indigent, reſarciantur, cultus Dei conſeruetur, & augeatur, quæ ſunt opus in Sacramentorum adminiſtratione, parentur, pauperes fideles alantur, & redimantur captiui, peregrini recipiantur hoſpitio: Virgines Deo dicatæ nutriantur; & regularium Ordines, quorum orationibus, exemplis, & doctrinis illuſtratur Eccleſia, promoueantur.

Contra iniuſtos bonorum Eccleſiæ occupatores.

§. 2. Ijs de cauſis cum ad bonorum Eccleſiæ conſeruationem omnes enixè vigilare teneamur: Parochis, cæteriſq; Eccleſiarum præſidentibus, nec non Concionatoribus mandamus, vt ſæpiùs populo repetant, quæ Tridentinum Concilium contra nefarios, & ſacrilegos bonorum Eccleſiæ detentores decreuit per hæc verba. *Si quem Clericorum, vel Laicorum, quacumque is dignitate, etiam Imperiali, aut Regali præfulgent, in tantum malorum*

Seſſ. 22. c. 11. reformationibus.

omnium radix cupiditas occupauerit, vt alicuius Eccleſiæ, ſeù cuiuſuis ſecularis, vel regularis beneficij Montium pietatis, aliorumq; piorum locorum iuriſdictiones, bona, cenſus, ac iura etiam feudalia, Emphyteotica, fructus, & emolumenta, ſeù quaſcumque obuentiones, quæ in miniſtrorum, & pauperum neceſsitates conuerti debent, per ſe, vel alios, vi, vel timore incuſſo, ſeù etiam per ſuppoſitas perſonas Clericorum, aut laicorum, ſeù quacumque arte, aut quocumque quæſito colore, in proprios vſus conuertere, illoſque vſurpare præſumpſerit, ſeù impedire, ne ab ijs, ad quos iure pertinent, percipiantur: is anathemati tamdiù ſubiaceat, quamdiù iuriſdictiones, bona, res, & iura, fructus, & redditus, quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocumque etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ peruenerint Eccleſiæ, eiùſque miniſtratori, ſiue beneficiato, integrè reſtituerit; ac deinde à Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit. Quod ſi eiuſdem Eccleſiæ patronus fuerit, etiam iure patronatus, vltra prædictas pœnas, eo ipſo priuatus exiſtat. Clericus verò, qui nefandæ fraudis, & vſurpationis huiuſmodi fabricator, ſeù conſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubiaceat, nec non quibuſcumque beneficijs priuatus ſit, & ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur, & à ſuorum Ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem, & abſolutionem, ſui Ordinarij arbitrio ſuſpendatur.

§. 3. In cuius Sacri Concilij Canonis publicatione etiam quantus ſit excommunicationis gladius, oues ſuas doceat Parochus, vt illæ ſic perterritæ à tàm damnabili, & nefario ſcelere abſtineant.

Excommunicationis gladius.

§. 4. Præterea ad bonorum Eccleſiaſticorum conſeruationem infraſcripta ſtatuimus, & mandamus. Si quis inſtrumenta, & alia cuiuſuis generis ſcripta ad Epiſcopalem Eccleſiam noſtram, vel ad alias quaſcumque Eccleſias, aut loca pia, pertinentia, ad præſens detinet, infra Menſem Nobis, & Eccleſiarum Rectoribus, ad quos ea ſpectant, ſignificare teneatur. Quod ſi dicto tempore

Qui ſcripta Eccleſiaſtica habent, denunciare teneatur.

elapſo,

elapſo, illa apud aliquem reperta fuerint, is tamquam doloſus illorum occupator, & ſuppreſſor, ſeuerè punietur. Hoc autem decretum noſtrum Parochus populo inter Miſſarum Sollemnia denunciet: & ab ipſa denunciatione ſtatutum vnius menſis tempus currere incipiat.

§. 5. Omnes Eccleſiaſtica aliqua beneficia poſſidentes, & monaſteriorum, ac quorumcumq; locorum piorum adminiſtratores diligenter, ac vigilanti induſtria inquirant: an ſuarum Eccleſiarum, vel pij loci bonorum aliquos detentores illicitos reperire poſſint: & ſi quem talem inuenerint: Nobis ſtatim, vel noſtro Generali Vicario, ſignificent, vt Nos animarum ſaluti, & Eccleſiarum indemnitati prouideamus. Inquirantur detentores bonorum Eccleſiæ.

§ 6. Quoniam verò Eccleſiarum decor ex Eccleſiaſticis bonis, atq; redditibus præcipuè conſeruatur, & augetur Vt Eccleſiæ bona alienari, vel diſtrahi nequeant; Et ſi quandòque ea diſtrahi, vel alienari contingat, vendicari, & Eccleſiæ reſtitui facilè poſſint, mandamus, vt quarumcumque Collegiatarum Eccleſiarum Canonici, cæterarumq; ſingularum Eccleſiarum Curati, nec non piorum locorum Rectores, & Adminiſtratores in termino ſex menſium ab harum notitia, ſuarum Eccleſiarum, Altarium, Oratorium, Montis pietatis, Societatum, Hoſpitalium Monaſteriorum monialium, & quorumcumq; piorum locorum, conficiant Inuentarium bonorum omnium mobilium, & ſtabilium; In quo vaſa omnia Sacra, veſtes, ſupellectilia, & quæcumque alia; Item fundos, agros, domos, cenſus, redditus, iura, actiones, ac cætera omnia ad præfata loca ſpectantia, deſcribantur; Cum annotatione qualitatum, quantitatum, confinium, ſituationum, reſponſionum, nominum pariter detinentium, & operariorum. Hæc omnia ordinatim, & diligenter in libro ad hoc ſpecialiter deputato recenſeantur; iſque trium ſaltem teſtium approbatione ſubſcribatur, qui de ſupradictis informati, verè ſic eſſe teſtentur. Cõficiatur inuentarium bonorum Eccleſiæ.

Cuius

Cuius Inuentarij originale ad Nos tránſmittatur, copiam verò, qui illud egit, apud ſe retineat in Archiuio Eccleſiæ ſuæ perpetuò conſeruandam: Sicut & Nos originale in Archiuio noſtræ Epiſcopalis Curiæ perpetuò conſeruandum curabimus.

Qui in huius inuentarij confectione fuerit negligens, pœna carceris punietur noſtro arbitratu.

Capellani amouibiles recipiant officiũ per Inuentarium.

§. 7. Capellani amouibiles cuiuſuis Eccleſiæ curam recipientes, nullo pacto Capellani officio fungantur, quouſque bona mobilia illius Eccleſiæ, Sacelli, vel Oratorij per inuentarium ſint illis conſignata; Vt ſi quando de his aliquid perierit, de proprio ipſi reficiant, & ad damni ſatisfactionem teneantur. Si verò pauperes fuerint, antequam Capellani fungantur officio, idoneam de prædictis cautionem præſtent.

Ne bona Eccleſiæ diſtrahãtur.

§. 8. Cum Eccleſiarum bona ſub Dei ſint dominio conſtituta, quorum poſſeſſio ad Eccleſiam ſpectat, ad ipſos verò Eccleſiarum Rectores illorum tantùm adminiſtratio pertineat: ſciant igitur illa ipſis alienare, vel pignorare, ſiue quouis modo diſtrahere non licere, nec vltra triennium locare, etiam cum clauſula, Reſeruato aſſenſu Sedis Apoſtolicæ. Et qui ſecus egerit, Excommunicationis ſententiam ſtatim incurrit.

Pro Emphyteoſi.

§. 9. Qui Eccleſiæ prædicta, ſiue alia quæcumque bona in Emphyteoſim, vel (vt dicitur) ad tertiam generationem obtinent; arbores fructiferas illius loci ſuccidere non poſſint. Et ſi quis ſecus egerit, Emphyteoſis liberè hoc ipſo iure ad Eccleſiam reuertatur; & contraueniens huic noſtro decreto, omne ſuum ius in illam Emphyteoſim amittat.

Pro menſa Eccleſiæ.

§. 10. Statuimus inſuper, bona aliàs in Emphyteoſim locari ſolita, poſtquàm ad Eccleſiam reuerſa fuerint, & effecta de menſa, nemini vlterius, niſi ab Apoſtolica Sede licentia prius impetrata, concedi licere; ſed retineri ea volumus pro Eccleſiæ menſa.

Quòd

Quòd ſi prius quàm illa de menſa efficiantur; Eccleſiæ Rector ad eandem Emphyteoſim, ea concedere voluerit, nullo pacto ipſi liceat, niſi de licentia à Nobis obtenta; Qui ſecus egerit, & ad damni emergentis emendationem Eccleſiæ teneatur; & grauiores pœnas arbitrio noſtro imponendas ſubeat; & conceſſio illa nulla ſit & inualida.

§. 11. Vbi licentia à Nobis obtenta, Eccleſiarum bona aliàs alienari ſolita, & ad Eccleſias reuerſa, iterum alicui concedentur ad longum tempus; Item ſi quando ad dominij recognitionem pro conſenſu præſtando ad earum rerum alienationem, quæ authoritate Apoſtolica in Empyteoſim legitimè iam conceſſæ erant, quarum poſſeſſores ius ipſorum, & meliorationes alteri, vendere, vel concedere volunt Rectoris Eccleſiæ, cuius illa ſunt bona, requiritur conſenſus; Tunc reſponſiones, & cenſus priores minuere non liceat, & pecuniæ, quæ ratione præſtiti conſenſus ſoluuntur in ipſarum Eccleſiarum vtilitatem arbitrio noſtro conuertantur; neque illas Rector, quouis modo, ad proprium ſui ipſius vſum conuertere poſſit; Qui ſecus egerit, & teneatur ad reſtitutionem, & à Nobis ſeuerè puniendus erit. Non minuantur redditus in emphyteoſi.

§. 12. Si quæ bonorum Eccleſiæ alienationes, aut locationes contra noſtra hæc decreta factæ fuerint, Nos præſenti hoc noſtro ſtatuto eas nullas, & inualidas declaramus; ac ideò Rectores, qui pecunias inde ſuſceperint, teneantur reſtituere. Quod ſi ipſi mortui fuerint, illas, qui in futurum ſoluerit, amittat, nec recuperandi aliquam habeat actionem. Inualidatio alienationis bonorum Eccleſiæ.

§. 12. Quandocumque Parochialis alicuius Eccleſiæ vacatio contigerit, illicò Vicarius noſter Foraneus extra Vrbem, vel eo impedito, Curatus illius Eccleſiæ propinquior, cum primùm dictæ vacationis notitiam habuerit, ad eam ſe conferre teneatur; ibique dictæ Parochiæ probis viris, inuentarium deſcribat omnium bonorum Quid faciendum quando uacet Eccleſia.

mobi-

mobilium, & Scripturarum ad eam Eccleſiam pertinentium; Eaquè omnia penès Vicarium à Nobis conſtitutum, vel aliquem alium eiuſdem Parochiæ fide, ac opibus idoneum deponat, ea conditione, vt nemini illa abſque noſtra peculiari licentia in ſcriptis exhibita, concedat.

Interim verò ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, à qua nemo, niſi facta reſtitutione, abſolui poſſit, prohibemus, ne illius Eccleſiæ ſupellectilia, ſcripturas, aliamuè rem vllam quiſpiam aſportet, aut aſportatam detineat, ſed omnia ſucceſſori maneant reſeruanda.

Conſanguinei Clerici mortui reſignẽt res Eccleſiæ.

§. 14. Conſanguinei alicuius Clerici demortui; bullas, ſcripturas ad Eccleſiam pertinentes, & alia quæcumque cuiuſuis generis Eccleſiaſtica monimenta, infra menſem ab illius obitu Nobis exhibeant, & Vicariorum Foraneorum iſtud ſit onus, qui curent, à Clericorum conſanguineis, ſcripturas huiuſmodi vendicare.

§. 15. In Solutione Cathedratici, quod ex Iuris diſpoſitione in ſubiectionis, & obedientiæ ſignum exoluitur, Cathedralis Eccleſiæ noſtræ Ius ſaluum fore quocumque tempore cupientes; ſtatuimus illud per quoſcumque Diœceſis noſtræ Clericos ad rationem conſuetudine introductam quolibet anno perſolui debere. Attamen quo anno Diœceſana Synodus per Nos celebrabitur, Cathedraticum quo tempore nominatim vocatus fuerit Clerus, ſoluatur à ſingulis in manibus noſtri Oeconomi.

De oblationibus Communitatum.

§. 16. Præcipimus demùm Curatis omnibus, ne oblationes, & refectiones à Communitatibus fieri ſolitas aboleant, vel dimittant; ſed illas, volumus à Curatis & recipi, & exigi.

De

De forma Inuentariorum.

CAP. XXVIII.

QVoniam Superiori capite decretum eſt, bonorum Eccleſiæ mobilium, atque ſtabilium inuentaria conficienda eſſe à quocumq; Eccleſiarum Curato, vel pij loci Rectore, aut miniſtro: modus & forma idcirco Inuentariorum conſtruendorum hic eſt aſſignanda.

Conſcribantur Inuentaria hæc Notarij publici manu. Quod ſi Notarius haberi non poſſit, ipſimèt Eccleſiarum Rectores, Perpetui Vicarij, vel alij Eccleſiarum, vel piorum bonorum curam habentes, adhibitis ſecum Maſſarijs, & Vniuerſitatis Syndico, ijs verò deficientibus, tribus ſaltem teſtibus ſenioribus de populo, qui de Eccleſiarum iuribus plenè notitiam habeant, Inuentaria iſta conſcribant. Hæc autem Inuentaria fiant de nouo, & non à Cataſtis, ſiue antiquis monumentis excipiantur: vt ſic termini, atq; confinia recognoſcantur, & ſi fieri opus eſt, renouentur, & bonorum Eccleſiæ poſſeſſio comprobetur.

§. 2. In rerum autem omnium deſcriptione iſte ſeruetur ordo.

In Nomine Domine Amen.

HOc eſt Inuentarium omnium bonorum mobilium, & ſtabilium, ſe mouentium, fructuum, reddituum, Iurium, & Actionum Eccleſiæ N. Et exprimatur an illa ſimplex ſit, an verò Parochialis &c. Poſitæ &c. Et deſcribatur locus vbi ſituata eſt Eccleſia &c. celebratum ſub die Menſis præſentis Anni

N Per

Per D. N. dictæ Eccleſiæ Rectorem, & me Notarium publicum infraſcriptum: In domibus &c. In præſentia, & iuxta relationem, & aſſertionem, dicti D. N. Rectoris, & N. N. N. hominum de infraſcriptis plenam cognitionem habentium, medio eorum Iuramento per me Notarium eiſdem de dicenda veritate delato. Quòd ſi abſque Notario Inuentarium fieri contingat, præcedens deſcriptio inſeruiet, deleto Notarij nomine, & communitatis tantùm paucis verbis.

§. 3. Quibus ita præmiſſis, deſcribatur in primis ipſa Eccleſia ſub iſta forma. Eccleſia prædicta N. poſita eſt &c. hic deſcribatur locus Eccleſiæ, cum ſuis confinibus: ſiue ſit vrbana, ſiue ruſtica, aut in alio loco conſtructa.

Adnotetur pariter illius latitudo, longitudo, & illius parietes tàm interiùs, quàm exteriùs, cuius ſint qualitatis: Quod habeat Eccleſia frontiſpicium, quod atrium, vel porticum, quæ ſit Eccleſiæ forma, an ad inſtar Crucis, vel aliter ædificata; Item pauimenti, tecti, campanilis, oſtij, & feneſtrarum qualitates, conditiones, & ſituationes deſcribantur.

Deinde Altaria omnia, quæ in Eccleſia exiſtunt, illorum denominationes, altitudines, latitudines, longitudines, & ornatus tàm picturarum, quàm paramentorum, cum adnotatione, an illa dotata ſint, & in titulum conferantur.

§. 4. Adnotentur poſtmodum in eodem Inuentario mobilia Eccleſiæ bona hoc ordine. Vt primo Tabernaculum Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, & omnia ad illius vſum, vel ornatum ſpectantia deſcribantur: Deinde Fons baptiſmalis, ſi ibi eſt, cum omnibus, quæ ad vſum, & ornatum illius exiſtunt; Sanctorum pariter Oleorum vaſa, locus, & ornatus: Campanarum etiã magnitudo, & (ſi haberi poteſt) pondus, & quæ in illis ſint verba deſcripta, vel ſi qua alia ſint illæ nota ſignatæ.

Cruces

Cruces, Imagines, Calices, & alia quæuis ex argento, ære, ſeù ex alia materia conſtructa, adnotatis omnium ponderibus, numero, & ornatu. Quæcumque alia Sacra, & non Sacra ad Sacramentorum adminiſtrationem, & diuinorum officiorum recitationem neceſſaria; Planetæ, Pluuialia, Dalmaticæ Diaconales, & Subdiaconales Tunicellæ, Indumenta Linea, Mappæ ad apparatum Altarium, & aliæ breuiores; cum expreſſione colorum, qualitatum, & omnium numero, atque menſura. Miſſalia, Breuiaria, Libri omnes ad diuinorum officiorum vſum, funerum, cantus, ſeù alterius qualitatis; Vaſa ſimiliter, quæcumque ſunt Eccleſiæ, inſtrumenta ferrea, tabellæ, feretra, ſedes, Capſulæ, & vniuerſa denique Sacriſtiæ ſupellex, deſcribantur.

§. 5. Subſequenter in prædicto Inuentario connotentur Eccleſiæ coniunctæ, aut contiguæ, domus, prædia, Officinæ, hortus, &c. cum ſuis confinibus, & ſituationibus; cuius illæ valoris ſint. An domus iſtas Rector inhabitet, vel ſint locatæ, & quibus, & quo pretio, & quando,

§. 6. Deſcribantur deinceps bona ſtabilia quæcumq; ab Eccleſia poſſeſſa, cum adnotatione confinium, quantitatum, ſituationum, reddituum. Et An redditus in Vino, frumento, oleo, ſeù alia re conſiſtant; Si ex dictis bonis aliqua in Emphyteoſim, ſiue alio titulo legitimè ſint locata, & quandiù duret hæc conceſſio, & quando, & per quem Notarium facta: & quibus conditionibus, & reſponſionibus collata.

Deſcribatur in hoc Inuentario, Si Eccleſia ſit in poſſeſſione aliquos exigendi cenſus, cum appoſitione cauſæ impoſitionis Cenſus, quando, & per quem Notarium:

Quæ Eccleſiæ animalia, cuiuſuis ſpeciei: fructus, qui ex illis percipiuntur, quis illa retineat, & quibus conditionibus.

Si Eccleſia habet Ius exigendi Decimas, à quo, & qua

ratione: & nihil omninò ad Eccleſiam attinens prætermittatur.

§. 7. Adnotentur pariter in hoc Inuentario onera Eccleſiarum; an aliquid Rector ſoluat Vicario perpetuo, Capellanis amouibilibus, ſeruienti Eccleſiæ, an quid ſoluat in ſatisfactionem piorum legatorum, vel ex alia causa. An Eccleſia grauata ſit penſione, qua, & cui.

§. 8. Bona Eccleſiæ illegitimè alienata deſignentur in hoc Inuentario, & quæ ab aliquo iniuſtè detinentur; ex quo tempore alienata, ſiue occupata fuerint; An de illis, ſeù alijs quibuſuis bonis lis, & controuerſia coram Iudice vertatur; & quis huius litis ſit ſtatus, vel proceſſus.

§. 9. Demùm Inuentarium, hoc Rectoris, Syndici, Maſſariorum, ſiue teſtium ſubſcriptione firmetur ſub hac forma.

Ego N. Rector ſupradictæ Eccleſiæ N. hoc præſens Inuentarium rerum, & bonorum ad meam Eccleſiam ſpectantium, & per me pacificè poſſeſſorum confeci, & in præmiſſorum omnium fidem me ſubſcripſi, & ita iuro.

Ego N. Syndicus, ſeù Maſſarius, aut teſtes de tali loco, dum rerum, & bonorum ſupradictorum, quorum me notitiam habere affirmo, præſens Inuentarium conficeretur, interfui, & in fidem præmiſſorum omnium me ſubſcripſi; & ita iuro.

Quòd ſi aliquis teſtis adhibitus, ſeù Syndicus, aut Maſſarius ſcribere neſciat, alius pro eo hac forma inuentarium ſubſcribat: Ego N. de Mandato N. qui aſſeruit celebrationi ſupradicti inuentarij interfuiſſe, & deſcriptioni ſupradictarum rerum, & bonorum, de quibus ſe notitiam certam habere iurauit, ſcribere neſcientis manu propria, hoc præſens inuentarium ſubſcripſi, & ita iuro.

§. 10. His munitum ſubſcriptionibus Inuentarium Notarius publicabit; & de illo Eccleſiarum Rectores,

quod

quod Superioribus noſtris Conſtitutionibus ſancitum eſt, obſeruabunt.

Et hæc eadem forma ſeruetur in deſcriptione Inuentarij bonorum, & rerum Monaſteriorum, Hoſpitalium, Societatum Laicorum, & Montis Pietatis, & piorum quorumcumque locorum.

De Eccleſiarum collatione.
CAP. XXIX.

Animarum cura, & Eccleſiarum adminiſtratio cum potiſſima ſit munerum omnium, quæ hominibus conferri queant, illis tantum deleganda eſt Sacerdotibus, qui ſanctitate, moribus, prudentia, & doctrina cæteros præcellant. Quapropter ex Concilij Tridentini præſcripto, in qualibet Diœceſana Synodo Examinatores eliguntur idonei, qui eueniente vacatione alicuius Parochialis Eccleſiæ de præficiendis ad eam periculum faciant. Qui examinatores ad Sancta Dei Euangelia iurare iubentur, ſe omni poſtpoſita affectione humana, munus hoc fideliter executuros: cauere itidem præcipiuntur, ne quicquam prorſus, occaſione huius examinis, ante, vel poſt, accipiant: ſimoniæ aliòquin tàm ipſi, quàm dantes arguendi.

Seſſ. 24 cap. 18 de reform. Examinatores Synodales qui eligendi.

§. 2. Nos igitur, vt Sanctam hanc Concilij diſpoſitionem proſequamur, eos etiam à beneficijs conſequendis eo ipſo excluſos eſſe volumus, qui ad Nos cum commendatitijs quorumcumque litteris acceſſerint, pro vt in noſtro ſpeciali ad hoc Edicto continetur.

Litteræ commendatitiæ pro beneficio nõ afferantur.

§. 3. Vacante itaque Parochiali Eccleſia, & propoſito per Nos Edicto, omnes, qui ſe exquiſito examini ſubijcere voluerint, ad ſtatutam diem compareant: vt coràm Nobis, ab examinatoribus periculo de illis facto; digniori, ac magis idoneo illius Eccleſiæ cura, &

bene-

beneficium conferatur, qui vita, moribus, doctrina, prudentia, cæteriſque virtutibus ornatus Eccleſiæ præeſſe, animarum ſaluti conſulere, ac ſibi commiſſas oues ad cæleſtem patriam dirigere, atque ducere valeat.

Excommunicatio contra impedientes acceſsũ ad cõcurſum.

§. 4. Inhibemus autem ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrenda; cuius abſolutionem Nobis reſeruamus, præter obligationem ad reſtitutionem damni illati, nè quis directè, vel indirectè, minis, promiſſis, aut quibuslibet alijs exquiſitis modis, impediat aliquem volentem concurrere, & examini pro beneficio Eccleſiaſtico ſe ſubmittere.

Cõtra paciſcẽtes non cõcurrere.

§. 5. Prohibemus etiam, concurrentes inter ſe paciſci, de non concurrendo ad aliquod beneficium in alterius commodum, & fauorem. Quòd ſi eos inter ſe ita paciſci contingat, inhabiles eos volumus, & declaramus ad illud beneficium conſequendum.

Pro examinatoribus.

§. 6. Examinator, qui examinandum antea priuatim ea docuerit, de quibus illum ſit examinaturus: examini non admittatur, & pœnam priuationis ab hoc officio in futurum incurrat.

§. 7. Examinandorum habitus, vultus, geſtus, & ſermo conſideretur ab examinatoribus: Et qui Clericali habitu pro ſui ſtatus, & Ordinis dignitate veſtitus non appareat: ſimiliter, & qui Tonſuram Clericalem non deferat; ad examen non admittatur.

§. 8. Examinatores neminem, quem indignum nouerint, admittant, & quem periculo facto, idoneum repererint, non reijciant; Sed prudenter, maturè, ac grauiter, & approbando, & reijciendo deliberent.

Conſiderent præcipuè examinatores, qui, qualis, & quam numeroſus ſit populus, cuius curam approbandus ſit ſuſcepturus, vt hinc etiam dignoſcere valeant, qui ad huiuſmodi curam, ex approbatis ſit magis idoneus.

Conſideretur examinandi non ſolum ſcientia, ſed & mores, iudicium, ingenium, ſolertia, vita, patria, & domici-

micilium, & an aliquod impedimentum habeat, quominus beneficium obtinere poſſit.

§. 9. Qui beneficium Eccleſiaſticum abſque legitimo titulo iniuſtè retinet, atque Eccleſiarum bona ſic vſurpare præſumit, ſit ipſo iure excommunicatus. Quam eandem ipſo iure excommunicationem ſubeat, qui beneficia Eccleſiaſtica obtinens laicali incedit habitu, & clericali non vtitur. Et qui de his prædictis hominibus notitiam habent, Nobis ſignificare teneantur, vt ſi moniti non reſipuerint, excommunicati publicè denuntientur, & Eccleſiaſtica beneficia ſic indebitè occupata alijs legitimè conferantur.

Excommunicatio contra detentores beneficiorum iniuſtè.

Et contra beneficiatos non deferentes habitum clericalem,

De confidentijs.
CAP. XXX.

Confidentiæ crimen illi admittunt, qui aliqua ex his conditionibus Eccleſiaſticum beneficium recipiunt. Videlicet. Vt poſt aliquod tempus receptum beneficium alteri renuncient: Vt aliquam partem fructuum, vel integros fructus ab alio percipi ſinant: Vel ſimili aliqua conditione, qua beneficium non ſibi, ſed alteri accepiſſe appareat.

Cõfidentiæ crimen, qui committant.

Qui ergo beneficium ſub aliqua ex his conditionibus receperit, & de illo prouiſus fuerit, nullum ſibi in eo ius competere norit, & ad fructuum perceptorum reſtitutionem obligari.

Sed & ſtatutas olim à Pio Quinto Pont. Max. in confidentiam committentes pœnas, hìc recenſendas duximus, quarum hæc eſt ſumma.

Pœnæ in illos.

Confidentiæ crimen admittentes ſunt ipſo iure omnibus beneficijs priuati, ad alia conſequenda in futurum inhabiles redduntur; Et In Iuris ſubſidium Excommunicationis ſententia innodantur: à quà niſi in mortis ar-

ticulo

ticulo conſtituti, ab alio, quàm à Romano Pontifice, abſolui non poſſunt..

§. 2. Ad Confidentiam probandam teſtes etiam ſingulares, & criminoſi, ac cæteri omnes, qui ad perhibendum in cauſa Simoniæ teſtimonium recipi poſſunt, admittuntur.

§. 3. Teſtes, & Mediatores, & Notarij, qui de crimine hoc informati, rogantur, à Nobis etiam tanquam Simoniaci ſeuerè ſunt puniendi.

§. 4. Vt verò fraudibus, quæ in beneficijs iuriſpatronatus admitti quandòque ſolent, quantum in Nobis eſt, obuiemus: Omnes ad beneficia quæcumq; Iuriſpatronatus præſentati in futurum, antequam beneficij poſſeſſionem recipiant, Iuramentum hoc in manibus Noſtris, vel Vicarij noſtri Generalis, præſentare teneantur; aliòquin fructus ſuos non faciant.

Iuramentum pro beneficio iuriſpatronatus.

Ego N. præſentatus ad beneficium N. iuro, & profiteor per hæc Sancta Dei Euangelia, quæ meis manibus tango; neque me beneficij obtinendi cauſa, vt ad illud præſentarer, vel nominarer, neque quemquam alium meo nomine, aut me ſciente, & conſentiente, quicquam patrono, ſeù cuiquam alij ea de cauſa promiſiſſe, dediſſe, compenſaſſe, aut prius datum confirmaſſe, vel apud quemquam depoſuiſſe; neque mutuo dediſſe, vel locaſſe; vel prius mutuo datum, commodatum, locatum, aut quocumque modo debitum remiſiſſe; neq; de domibus, terris, prædijs, redditibus huius Eccleſiæ, fructibuſuè, decimis, aut oblationibus eiuſdem præteritis, præſentibus, vel futuris donationem, remiſſionem locationem feciſſe, aut iniuiſſe; Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

De

De Eccleſijs Collegiatis, Capitulo, & Punctatore.

CAP. XXXI.

§. 1. Collegiatarum Eccleſiarum Canonici, ita mores, atque vitam componère habent, vt modeſtiæ, continentiæ, humilitatis, & religionis omnibus ſint in exemplar; ea propter habitu, conuerſatione, ſermone, inceſſu, cæteriſque actionibus ſuis, nil non graue, honeſtum, ac pietate dignum præ ſe ferant: Ab illicitis venationibus, aucupijs, choreis, tabernis, atque ludis omninò ſe contineant: pari familiaritate, & conuerſatione inter ſe vtantur, ac ea denique morum probitate polleant, vt ipſorum actiones, & vitam reliqui venerentur. Canonicorum vita qualis.

§. 2. Ab ædibus Canonicorum, Laicorum conuerſatio ſit prorſus aliena, ludi cuiuſuis generis non permittantur in eis. Mulieres non ibi commorentur, aut conuerſentur: Spectacula, Comediæ, choreæ, & talia huiuſmodi ibi non fiant. Sed vſui tantùm ſint Canonicorum. Quòd ſi Canonici Laicos in his ædibus conuerſari, permiſerint vndè ſcandala facilè poſſunt euenire, grauiter à Nobis erunt puniendi. Aedes Canonicorum.

§. 3. Canonici talari veſte induti, & mundis ſuperpelliceis, cum Rocchettis, vel Cappis pro temporum diuerſitate, vel almutij, nullo pacto pileum, ſed Biretum deferentes, deuotè Chorum ingrediantur. In Chorum autem aduenientes ante Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum flexis genibus aliquantulum orent; & cum in medio fuerint Chori, ad Altare vniuerſi profundè inclinent. Deinde Canonicos, qui quando in Choro ſunt inclinato aliquantulum capite ſalutent, qui & à Quomodo accedat ad Chorum.

præexiſtentibus in Choro vicisſim reſalutentur, & ad ſuum accedant locum, nullùſque alteriùs ſedem occupet: aliòquin illius horæ diſtributione priuandus. Et quia indecens nimiùm, ac ſcandoloſum apparet, Canonicos abſque Cottis, dum diuinum recitatur Officium, aut Miſſa celebratur, per Eccleſiam hùc, atque illùc vagari ideò vnuſquiſque ſuo ſe loco continens, veſtibùſq; prædictis indutus, Choro deſeruiat.

De Diuino Officio dicendo.

§. 4. Diuinum Officium quolibet die iuxta cuiuſque Eccleſiæ laudabilem conſuetudinem recitetur, Matutinum, videlicet, die iam albeſcente Solis ortu incipiatur. Poſt Matutinum Prima, ac reliquæ Horarum, prout à Nobis conſtitutionibus, & in Viſitatione ſancitum eſt, recitentur, aut decantentur. Et tunc memores ſint, quòd beneficium datur propter Officium. Et qui inter eos maiori dignitate fulget, cæteros Chori frequentia, deuotione, & cantu anteire debet.

Qui opportunè nô aduenerint.

§. 5. Qui in Chorum non venerit ad Matutinas preces ante finem primi hymni: ad alias Horas, ante finem primi Pſalmi: ad Miſſam, ante finem vltimi Kyrie eleiſon, pro abſente habeatur, & ideò illius Horæ, vel Miſſæ diſtributiones ipſo iure ſit priuatus: quam pœnam etiam incurrant, qui ante finem Officij à Choro abſcedunt, vel per illum hùc, atque illùc diuagantur.

Intendant Diuino Officio.

§. 6. In Choro, dum Diuinum recitatur Officium, dormire, indecenter oſcitare, ridere, colloqui, turpiter ſedere, litteras aperire, vel legere, aut Officium priuatim dicere, nullus audeat: ſed omnes ita ſeruitutis ſuæ Domino famulatum perſoluant, vt ipſi ſeuerè aliquando rationem reddere non teneantur.

Diuinum Officium quomodo dicendum.

§. 7. In Horis recitandis, aut decantandis illud, vel maximè obſeruetur, vt non confusè, & curſim nimium accelerando: ſed clarè, diſtinctè, ac deuotè, & concordi omnium voce proferatur; Nec vna Chori pars aliquid incipiat, quoùſque altera ſuum verſiculum ex integro

per

perſoluerit; In medio autẽ verſiculi aliqua decens pauſa interpoletur: Vt qui diuinarum laudum recitationem audierint, clarè omnia intelligentes ad deuotionem excitentur.

§. 8. Illud etiam ad Canonicorum memoriam reducimus, quòd niſi quotidiè Diuinum Officium, & horas omnes Canonicas integrè recitauerint, & peccatum mortale committunt, & beneficij fructus non faciunt ſuos: ſed ad illorum tàmquam indebitè perceptorum reſtitutionem obligantur: & à Nobis etiam alijs pœnis punientur.

§. 9. Dum Pater Noſter, Aue Maria, & Credo dicuntur: dum Gloria Patri, &c. Finis Hymnorum, & Nomen Ieſu Chriſti pronunciantur, omnes aſſurgant, & profundè caput inclinent. Inclinationes.

§. 10. Canonicus hebdomadarius iuxta Chori ſeriem voce ſonòra, & modeſta Matutinum, cæteràſq. Horas incipiat, dum interea omnes ſe Crucis ſigno muniunt: Abſolutiones, Benedictiones, Capitula, & Orationes à Canonico hebdomadario: Reſponſoria verò, Antiphonæ, Verſiculi, & Lectiones ab alio, cui à Chori præfecto fuerit iniunctum, recitentur. Qui Antiphonas, Reſponſoria, & Verſiculos cantare habent, dato ſigno à Chori Præſidente procedant à ſedibus ad librum, & capite detecto muneri ſuo ſatisfaciant. Et Magiſtro Chori in his, quæ ad ipſius officium ſpectant, omnes obedire teneantur. Hebdomadarius.

§. 11. Dum diuina celebrantur officia, nullus à Choro diſcedere audeat, niſi ſacris omnibus abſolutis; vel niſi licentiam priùs obtinuerit ab eò, qui in Choro præſens maiorem habet dignitatem. Hæc autem licentia diſcedendi à Choro non concedatur, niſi ex graui cauſa, quæ etiam exprimatur. Et qui iuſta de cauſa hanc licentiam impetrauerit, abſoluto negotio protinus reuertatur ad Chorum. Caueant autem ne cauſas ſibi fingant: Non diſcedendum à Choro niſi poſt completum officiũ.

O 2 nam

nam ſi humanum effugient iudicium, diuinum certò non fallent.

De Miſſa maiori canenda.

§. 12. Diebus feſtiuis Canonici Sollenni apparatu cum Diacono, Subdiacono, Ceroferarijs, & Thuriferario cantent per ſe ipſos Miſſam maiorem. Si verò hebdomadarius legitimè impediatur, alius ex Canonicis eius loco Miſſam canat. In maioribus autem Sollennitatibus maiorem Miſſam celebret, qui maiorem habet in ea Eccleſia dignitatem.

§. 13. Dum Miſſa canenda incipitur, Canonici bini, & bini inter ſe confeſſionem faciant. Iterum quando Gloria in Excelſis, Symbolum Apoſtolorum, Sanctus, & Agnus Dei canuntur, Canonici, ſi canere non teneantur, bini, & bini ſubmiſſa voce hæc eadem dicant.

Pio Sabbatho.

§. 14. Cathedralis, & Collegiatarum Eccleſiarum Canonici, quolibet die Sabbathi ante Altare Beatiſſimæ Virginis Mariæ aliquas pias preces dulci cãtu concinant: vt & ipſi illius patrocinium promereantur: & populus, eorum exemplo, ad Deiparæ Virginis deuotionem ſollicitetur magis.

Canonicorum præbendæ deſcribantur.

§. 15. Statuimus, vt in quibus Eccleſijs, præter quotidianas diſtributiones, certæ ſunt conſtitutæ Canonicorum præbendæ, quæ vacatione contingente, optantur: ne illarum Iura pereant, & bona confundantur, infra menſem, ſingulis præbendis nomen proprium imponatur, niſi iam ſit impoſitum, vt in futurum ſingulæ ſub alicuius Sancti inuocatione recognoſcantur; Et ipſorum bona in Inuentario prout ſupra, ſub proprijs nominibus deſcribantur.

Supra cap. 18.

De ijs Canonicis, qui litteras neſciunt.

§. 16. Statuimus poſtremò, quòd ſi Canonicorum alicuius ſciẽtia ad munus Canonicatui ſuo annexum per ſe ipſum obeundum non ſit ſufficiens, & idoneus, debeat infra annum litteris incumbere; & anno elapſo, niſi tantum in ſtudio profecerit, vt dignus illius functionis miniſter comprobetur à Nobis, à perceptione fructuum ſit ipſo iure ſuſpenſus.

De

De congregando Capitulo.

§. 17. Capitulum Canonicorum qualibet hebdomada vel ſaltem quintodecimo quolibet die, Feria ſecunda, niſi graue impedimentum accidat,& tunc,impedimento ceſſante, ſequenti die congregetur, & quoties aliqua neceſſitas,vel Eccleſiæ vtilitas ſuadebit. Quoties autem alio die,quam dicta feria ſecunda,contigerit Capitulum congregari: fiat ante intimatio pro certa die, & hora omnibus, qui conueniri poſſint: Et qui hoc fuerit executus, teneatur id Scribæ Capituli referre, vt appareat certa fides intimationis oportuno tempore factæ. Nam ſi huiuſmodi intimatione dimiſſa aliquid actum,vel conſtitutum fuerit à Canonicis, nullum ſit omninò, atque inualidum: niſi tamẽ vrgens neceſſitas aliud expoſtularet; & tunc primam habens in ea Eccleſia dignitatem, vel eo abſente, Canonicorum antiquior (qui his caſibus Capitulum congregare poſſint) meliori modo, quo fieri poterit, curet, vt conueniens Canonicorum numerus his capitulis ſic de improuiſo collectis ſit præſens. **Capitulum quando, quomodo, & ad quid cõgregãdum.**

§. 18. Non tamen congregetur Capitulum, dum in Eccleſia celebrantur diuina officia, nec rationes adminiſtrantium bona capituli tunc temporis recognoſcantur.

§. 19. Ex tribus Canonicorum partibus duæ partes in Sacris Ordinibus exiſtentium, & in locis reſidentium, Capitulum faciant, & conſtituant: Numerus verò Canonicorum minor Capitulum non conſtituat: & quæ aliter factæ fuerint determinationes, viribus careant.

§. 20. Vbi duæ ſaltem ex tribus Canonicorum partibus conuenerint: illud dicatur obtentum, & executioni mandetur, quod à maiori parte eorum, qui Capitulo interſunt, ſtatutum, aut diſpoſitum fuerit: Et decreta huiuſmodi per Capituli Scribam in libro annotentur.

§.21. In Caſibus infraſcriptis nolumus Capitulum congregari poſſe abſque noſtra ſpeciali facultate, aut noſtri Generalis Vicarij, Nobis abſentibus, & ſi ſecùs factum fuerit, nihil omninò valeat: Et Canonici delinquentes, ſeuerè punientur à Nobis.

Quando agendum eſſet de remiſſione pecuniæ ex aliqua cauſa Eccleſiæ, aut Capitulo, aut Sacriſtiæ debitè obuenientis.

In omnibus locationibus ad longum tempus concedendis, quamuis in rebus ſolitis ad feudum concedi.

Quotieſcumque agendum eſſet de amouendis conſuetudinibus, vel de cõſtitutionibus nouis introducẽdis.

§.22. Qui diebus prædictis, & aliàs quando legitimè ad Capitulum vocatus fuerit, præſens non aderit, vnius diei diſtributione mulctetur.

§.23. Congregatis Canonicis, in exordio Actionis, ab vno ex Canonicis, cui fuerit iniunctum, infraſcripta Oratio flexis genibus piè, & deuotè dicatur.

Oratio.

Oratio in exordio Capituli.

AD ſumus Domine Sãcte Spiritus, adſumus quidem peccati immanitate detẽti: ſed in tuo nomine ſpecialiter congregati. Veni ad nos, & eſto nobiſcum, dignare illàbi in cordibus noſtris: doce nos quid agamus, quo gradiamur: & oſtende quid facere debeamus: vt te auxiliante, tibi in omnibus placere valeamus. Eſto ſalus, & ſuggeſtor, ac effector iudiciorum noſtrorum: nec nos patiaris perturbatores eſſe iuſtitiæ, qui ſummam diligis æquitatem, vt in ſiniſtrum nos ignorantia non trahat, non fauor inflectat, non acceptio munerum, vel perſonæ corrũpat: ſed efficaciter nos tibi ſolito tuæ gratiæ dono iunge, vt ſimus in te vnum, & in nullo deuiemus à vero, quatenus in nomine tuò collecti ſic in cunctis teneamus cum moderatione pietatis iuſtitiam, vt hìc in nullo diſſentiat ſententia noſtra: & in futuro ſeculo pro benè geſtis præmia conſequámur æterna.

Et

Et. omnes reſpondeant. Amen.

Qua Oratione completa, proponat, qui huius curam habet, illius congregationis cauſam.

§. 24. Determinationes ſecretis fiant ſuffragijs: illaquè palàm nullus oſtendat: ne libera Canonicorum voluntas, & votum in aliquo coarctari videatur. In negotijs pertractandis, quiſque ſuo ſe contineat loco: & indè honeſto modo, & ordine debito quid ſentiat, liberè dicat, quocunque animi affectu, vel odio remotis: nec vnus alium ſtrepitu, aut vocibus impediat: nec verbis indecentibus, aut contumelioſis inuehatur. Et qui in his defecerit, punietur ſeuerè. Secretò tradita ſeruentur.

§. 25. Statuimus, vt quoties à Præpoſito congregati Capituli aliquid ſub ſecretò Canonicis deliberandum fuerit propoſitum: nullus Canonicorum quoquomodo reuelare, referre, vel etiam annuere perſonis quibuſuis externis à Capitulo audeat. Qui verò huic noſtro decreto contrafecerit, pro prima vice vnius menſis: pro ſecunda, ſex menſium; pro tertia integri anni diſtributione careat: quam pœnam ipſo facto incurrat.

§. 26. Publicus Tabellio, vel de Canonicorum numero aliquis Scriba eligatur, cuius officium ſit annotare in libro, qui Deliberationum Capituli vocetur, quoties Capitulum congregabitur, nomina Canonicorum præſentium, Propoſitiones, quæ fient, & quæ ſubſequentur Determinationes, cum annotatione diei, menſis, & anni. Et hic liber in Archiuio Sacriſtiæ conſeruetur. Tabellio, aut Scriba Capituli

§. 27. Demùm præcipimus, vt cuiuſlibet Collegiatæ Canonici teneantur infra mẽſem, omnes, quas hactenus habent ſeruari ſolitas cõſtitutiones, cuiuſuis generis illæ ſint, tàm in Diuinorum Officiorum recitatione, quàm in Deliberationibus à Capitulo factis, vel circa celebrationẽ Miſſarum, vel quæcũque illæ ſint, deſcribere in Libro ad hoc ſpecialiter parato, cuius copiam Nobis tranſmittãt. Deliberationes priores Capituli deſcribantur.

De

De Punctatore.

§. 28. Vt omnia per Nos ſuperius conſtituta executioni mandentur, Punctatoris officium ab aliquo idoneo exerceri mãdamus, qui omnes in præhabitis quomodolibet delinquẽtes in lib. Pũctationũ deſcribat. Vt autem ipſe fideliter, & debita cura munus ſuum proſequatur, ad Iuramentũ ſub infraſcripta, vel ſimili forma in manibus Noſtris in hac Synodo, & extra Synodũ corã Capitulo, præſtandum teneri volumus, atque mandamus.

Punctator ad quid teneatur.

Ego N. ad Punctatoris officium deputatus, Iuro, ac promitto, quòd officiũ huiuſmodi diligẽter, ac fideliter exercebo: & lib. Punctationum conficiam, in quo ſine fraude, ac dolo, omnibus humanis affectibus remotis illos Canonicos, & quoſcũque alios, ad Diuini Officij ſolutionem in Choro obligatos, & alios, ad quos ſpectat, qui tẽpore oportuno ad Diuinorũ Officiũ recitationẽ in Choro non affuerint, & quæ ad hoc faciunt ſtatuta Illuſtriſſimi, ac Reuerẽdiſſimi Epiſcopi nõ ſeruauerint, deſcribam. *Sic me Deus adiuuet: & hæc ſancta Dei Euangelia.*

§. 29. Quomodo verò, & à quibus hoc Punctatoris Officium ſit exercendum, quælibet Collegialis Eccleſia, prout ſibi cõmodiùs cognouerit expedire, ſibi decernat: dummodo quod circa hoc decreuerit, Nobis quamprimum ſignificet, vt per Nos approbetur.

§. 30. Teneantur autem Punctatores ad anni finem Punctationum Librum, vel notam Nobis oſtendere, vel Vicario noſtro, vt nos etiam recognoſcere poſſimus, qui in Chori ſeruitute negligentes, & qui frequentes fuerint.

§. 31. Meminerint tandem Canonici, ſe non poſſe Punctationes ſibi inter ſe dimittere, vel condonare, Sed quæ ex Punctationibus lucra acceſſerint, inter eos diuidantur, qui adfuerint Choro.

De

De Lectione Caſuum Conſcientiæ. CAP. XXXII.

§. 1. CAſuum Conſcientiæ Lectio, quouſque de præbenda Theologali ſufficienter à Nobis prouiſum fuerit, eodem modo, quo hucuſque conſuetum eſt, habeatur per Lectorem Theologum à Nobis deſignandum. Qui per totum annum (excepta Quadrageſima) quolibet Mercurij die, aliquo feſto de præcepto non impedito: in ædibus noſtris Epiſcopalibus, Lectionem de Conſcientiæ Caſibus habeat; Ad quam conuenire, & adeſſe teneãtur omnes Monialiũ Confeſſarij, & omnes, qui audiendi confeſſiones funguntur Officio. A qua Lectione ſi quem ex prædictis abeſſe contigerit, abſque graui, & legitima cauſa à Nobis approbanda: pœnam trium Iuliorum totiès quoties, & pro qualibet vice ſoluendorum ſubeat; quæ pecunia locis pijs à Nobis eſt applicanda.

§. 2. Cæteros item Canonicos, Sacerdotes, & Clericos hortamur, & obnixè rogamus, vt eam caſuum Lectionem frequentare velint, cum ex illa neceſſarij Sacerdotum muneris acquiratur ſcientia: ſine qua nec populum, vt ad illos ſpectat docere poſſent, nec Sacerdotij officium dignè adminiſtrare.

§. 3. Hanc eandem Caſuum Conſcientiæ Lectionem volumus haberi in omnibus maioribus Collegiatis noſtræ Diœceſis, per aliquem Theologum, vel ſecularem, vel regularem, à Nobis, vel à Vicarijs noſtris Foraneis pro quolibet loco deſignandum: Ad quam ſimiliter Canonici, Parochi, & Monialium, aut Laicorum Confeſſarij aduenire ſtudenat: aliòquin pœnis cogantur.

De Parochi Officio.
CAP. XXXIII.

§. 1. CVm Parochi ſpeciale ſit munus inter populum, & Deum adſtare Mediatorem pro pace concilianda: atque adeò Sacrificia pro peccatis, orationes, & vota Deo offerre, delicta populorum plangere, & animabus ægrotis ſpirituales medelas adhibere; ideò memor pro commiſſis animabus ſe rationem redditurum, hæc temporalia, quæ non labore manuum ſuarum, vel hæreditario iure ſibi acceſſerunt, ſed pauperibus diſtribuenda conceduntur, facilè contemnens: non ſe tàm cenſuum, redditum, decimarum, primitiarum, oblationum, & votorum cupidum, & diligentem exactorem oſtendat, quàm miniſteriorum, & verbi Dei diſpenſatorem. Igitur Parochus proprium munus agnoſcens, Sacramenta ritè adminiſtrare, ac populum fidei ſuæ commiſſum de ijs rebus, & inſtitutis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, inſtruere non deſiſtat, diligenter agnoſcat vultum pecudum ſuarum, & ſuper gregem ſuum conſideret: & quæ corrigenda, aut emendanda cognouerit, ſi ipſe per ſe non poſſit, Nobis ſignificet.

Parochi Officiũ ſpirituale, nõ tẽporale eſt

§. 2. Vt verò propriæ curæ magis inuigilet, aliquod aliud onus vel alteri Eccleſiæ deſeruiendi, vel celebrationis Miſſarum, vel alterius cuiuſque rei non ſuſcipiat; ſed totus Eccleſiæ ſuæ incumbat, illam tamquàm vnicam ſibi ſponſam diligat, nec deſerat: Miſſas, cæteraq; diuina officia oportunè celebret; in componendis populorum controuerſijs, animiq; motibus conciliandis ſe continuè occupet; Pupillos, ægrotos, & ſenio confectos ſæpè viſitet, & in quibus poteſt auxilietur: vt pia hæc charitatis opera aſſiduè præſtando, Domino debitum exoluat famulatum.

A Parocho exercenda.

§. 3. Per

§. 3. Per ſe ipſum Parochus curam ſibi commiſſam exerceat: nec eam abſque noſtra licentia alteri cuius committat: Vbi verò licentiam retinendi Capellanum legitima cauſa intercedente à Nobis obtinuerit, & Capellanus, & Parochus reſideant, niſi aliàs de iure excuſetur. Per ſe ſuo fungatur Officio.

§. 4. Diebus Dominicis populo Parochus aliquid de Euangelio ſemper exponat; quòd ſi in hoc verſatus non fuerit, breui vtatur ſermone. Caueat autem ne quid dicat, quod veritati Euangelij repugnet; & confidat in Domino, qui dat verbũ euangelizantibus virtute multa: Sed vt muneri huic ſuo melius ſatisfacere queat, in lectione Chatechiſmi Romani ſit aſſiduus, & in ſtudio ſpiritualium librorum continuè verſetur. Sermocinetur.

§. 5. Singulis diebus Dominicis antequàm Parochus Miſſam inchoet, aquam ſale conſperſam in Eccleſia publicè benedicat; vt populi Orationes audiendo, & huiuſmodi benedictiones contemplando, cum deinceps vel Dominicis diebus in exordio Miſſæ à Sacerdote, vel per ſe ipſos dum Eccleſiam ingrediuntur, aqua benedicta aſperguntur, ad deuotionem magis inflammentur, illàmque maiori deuotione, ac reuerentia recipiant. De Aqua benedicta.

§. 6. Benedictio domorum ſemel in anno fiat à Parocho; non poſt, ſed ante Paſcha. Verùntamen alterius Parochiæ domos, abſque ſpeciali proprij Parochi commiſſione, non benedicat. Et præter proprium Parochum ſine ipſius licentia, nullus Secularis, vel Regularis Sacerdos Laicorum domos aqua benedicta eo tempore audeat aſpergere. Domos tamen meretricum, & eorum, qui peccatores notorij ſunt item illorum, qui elapſo anno communionem non acceperunt, Nullus benedicat: neque in die Purificationis candelas, & in die Palmarum oliuas vllo modo iſtis diſtribuat. De Benedictione domorum.

§. 7. Vt Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum decenter conſeruetur, & congrua reuerentia ad infirmos

Inſtituatur Societas Sacramenti.

deferatur, curet quilibet Parochus in ſua Eccleſia inſtituere Societatem Sanctiſſimi corporis Chriſti, niſi hactenus ſit inſtituta: & Bullas confirmationis à Sancta Sede Apoſtolica obtinere procuret, vt iſtius Societatis Confratres Indulgentiarum illi Societati conceſſarum participes fiant, & aliarum Societatum merita ipſis communicentur.

Circa infirmos

§.8. Cum primùm nouerit Parochus aliquem de ſua Parochia infirmari, ſumpta occaſione ipſum adeat; cum quo de ſalute opportuna loquēs, benignè illū admoneat: vt de commiſſis peccatis confeſſionem faciat: Et de rebus ſuis, dum ſenſus, & ratio vigent, ritè diſponat: & quando opportunum fuerit, vt Euchariſtiam ſacram reuerenter ſumat: ac vt extremam Vnctionē dum integris eſt ſenſibus ſibi exhiberi poſtulet. Hæc autē omnia Parochus, & tempore, & ſermonibus aptis prudenter adeo peragat, vt infirmo conſolationē potiùs afferat, quàm timorē incutiat. Cum verò infirmus tàm graui laboret morbo, vt in mortis articulo conſtitutus videatur, ſi tunc, & quandocūque ſe ad ſatiſfaciendum, ac obtemperandū eſſe paratū exhibeat, prius ipſum à quauis Eccleſiaſtica cēſura, & à caſibus reſeruatis tàm Epiſcopo, quàm sūmo Pontifici etiā in Bulla Cœnæ, deinde à peccatis abſoluat: ea tamē ratione, vt ſi ſanitatē recuperare ſibi cōtingat, ſe plenè ſatisfacturū, Superiores aditurum, & eorum mādatis obſecuturum promittat. Quòd ſi ægrotum animam agere cognouerit, animæ commendationem dicat: & precibus morientem ſubleuet. Et ſi Parochus in his negligens fuerit, à Nobis grauioribus pœnis punietur.

Teſtamenta à Parocho conſcribenda.

§.9. Si quando rogatur Parochus de aliqua vltima volūtate, vt videlicet ipſe teſtamentum alicuius conſcribat, quæcumque teſtamenti fuerit ſumma: non accipiat pro ſuo labore, & fide, pluſquam Iulios quinque: quòd ſi commodè publicus Notarius haberi poteſt, ipſe Parochus à rogitu abſtineat.

§. 10. Nouos ſuæ Parochiæ inquilinos, qui ſint, obſeruet Parochus: & ſi ſecum mulieres habeant, quæ illæ ſint: ne ſub Matrimonij ſpecie, inceſtus, & adulteria permittantur. Contra delinquentes.

Et vt qui Speculator à Domino eſt conſtitutus, etiam de infraſcriptis ſpecialem conſiderationem habeat, an ritè ſeruentur, vel emendari cupiant.

De Feſtorum dierum cultu.
De Ieiunijs.
De Doctrina Chriſtiana.
De maleficijs, & Superſtitionibus.
De Quæſtoribus eleemoſynarijs.
De Meretricibus, & concubinis.
De Blaſphemis.
De Vſurarijs.
De Tabernis, & Officinis.
De Luſoribus.

§. 11. Quamuis Sacra loca quibuſdã caſibus ſint reis, & delinquentibus velut Aſylum, atque ſuffugium: non decet tamen in illis eos degere, qui Parochiales functiones, & Eccleſiaſticorũ munia perturbare poſſunt. Quare hoc præſẽti decreto præcipimus quibuſcũque Eccleſiaſticis perſonis, præſertim verò Parochis, ne vltra tres dies permittant in domibus ſuis cõmorari reos, & præcipuè exules, ſeù cõtumaces Laicos, ſub pœna ſuſpenſionis, & alijs Nobis arbitrarijs. Quòd ſi ratio Nobis ſuaſerit, eam facultatem Nos iiſdem concedemus pro ratione perſonarum, & delictorum. Nobis autem inconſultis, nemini liceat dictum prorogare terminum: Facinoroſos autem, de quibus in Bulla Gregorij XIV. 28. Maij 1591. nullo modo neque per viam recipiant. De non recipiendis exulibus bannitis.

§. 12. Hæc præterea ſingulis annis debet Parochus populo ſignificare, & eum de his commonere.

Ne quis peccata ſua temerè cuilibet Sacerdoti confiteatur: Nam Sacerdos à Nobis nõ expoſitus, ſiue Secula- Singulis annis denuncianda.

laris ſit, ſiue Regularis, vel etiam loci Prædicator, Confeſſiones in noſtra Diœceſi audire nôn poteſt; & ſi audiat, abſolutio ab eo prolata nulla eſt, & inualida. Itaque non admittatur quiuis Sacerdos ad audiendas Confeſſiones; niſi priùs loci Curato oſtendat facultatem à Nobis in ſcriptis obtentam, & manus noſtra in ſubſcriptione recognoſcatur.

Item annuntiet quolibet anno ouibus ſuis, quòd quilibet adultus tenetur ex præcepto Eccleſiæ, ſaltem ſemel in anno confiteri peccata ſua Sacerdoti approbato, & communionem accipere in Paſchate in Eccleſia ſua Parochiali.

Item annuntiet omnia alia temporibus infra exprimendis ſub pœna ſuſpenſionis.

Suſpenſiones, & cenſuræ ipſo facto incurrendæ ponuntur in fine huius libri.

Succeſſori conſignentur.

§. 13. Qui Sacerdos curam Animarum in aliqua Parochia exercuerit, quam vel ad aliam tranſeundo, vel abſolutè relinquere voluerit; antequam curam dimittat, ſuo Succeſſori omnia bona per inuentariũ conſignet.

De Reſidentia Parochi.
CAP. XXXIV.

§. 1. ID, quod adeò ſanctè à Tridentina Synodo ſtatutum eſt de Curatorum Reſidentia in ſuis Eccleſiis, ne Paſtores temerè à ſuo grege diſcedant, vt omninò ſeruetur; Nos qui & animarum ſaluti conſulere, & Concilij decretis obtemperare debemus, hæc de reſidentia illorum, qui Dominicis præſunt ouibus, ſtatuimus, & obſeruari mandamus.

Seſ. 6. & Seſ. 23. de reform.

Parochus ad continuam in propria Parochia reſidentiam teneatur, quamuis adhuc non ſit conſtitutus Sacerdos, aut de titulo Beneficij lis pendat, aut ſenex ſit, vel

illi

illi datus ſit coadiutor; vel cura à pluribus exerceatur; vel aduerſa valitudine (curabili tamen) laboret; Quòd ſi infirmitas incurabilis ſit, adhuc tamen, niſi priùs licentia à Nobis obtenta, ab Eccleſiæ ſuæ cura non diſcedat. Et quamuis in ſua Parochia Curatus habitationem non habeat; à reſidentia tamen minimè excuſetur. A qua ſi per ſex menſes abfuerit, & monitus redire neglexerit, punietur iuxta Conc. Trid. decretum, etiam beneficij priuatione. Seſſ. 23. cap. 1. de reform.

§. 2. A propria cura nemini Curato deſcedere liceat, etiam ad breue tempus, licentia priùs à Nobis non obtenta; vt ſi quando ex legitima cauſa licentiam concedimus, Parochiali Eccleſiæ de cura animarum interea prouidè conſulamus. Tunc verò Parochus antequàm diſcedat, populo inter Miſſarum Sollennia ſui diſceſſus cauſam indicet; & inquirat an aliqui exiſtant in Parochia ægrotantes, quibus prouideat. Quòd ſi breuiori tẽpore abſuturus ſit, pro quo licentiam à Nobis non oporteat impetrare, alicui ad curam animarum à Nobis approbato, oues ſuas committat, ad omnes inopinatos caſus, qui ſuperuenire poſſent.

§. 3. Diebus feſtiuis non eat Parochus ad celebrandum in aliam Eccleſiam, abſque noſtra licentia priùs obtenta; non enim Mercenarius eſt, ſed Paſtor ouium. Qui ſi à Nobis hanc facultatem obtinuerit, tunc aliquem alium Sacerdotem relinquat, qui in ſua Eccleſia vice ſua Miſſam celebret: alióquin licentia Noſtra non illi ſuffragetur. Et ſi Sacerdotem alium, qui huic muneri ſatisfaciat, inuenire non poſſit, non diſcedat ipſe à ſua cura: niſi tamen alia in eodem loco ſit Eccleſia, in qua populus diuina poſſit audire: quod & ipſum populo nunciare teneatur.

§. 4. Quibus diebus à populo confeſſiones frequentantur, & præſertim per dies octo ante Domini Natiuitatem, & à Dominica Paſſionis, vſque ad Reſurrectionis

Octa-

Octauam Parochus à reſidentia ſua etiam breuiſſimo tempore non diſcedat, quamuis aliò ad funera, & officia ſacra vocatus, ne propter ipſius abſentiam, pœnitentes à confeſſione reuocentur, aut eam differant.

§.5. Quoniam quandòq; aliqui ex Curatis huc, atque illuc licentiùs vagãtes, & ſecularibus negotijs attendentes, in Eccleſia rarò reſident: Statuimus propterea non licere Curato extra propriam Parochiã degere, & multo minùs pernoctare. Et qui extra Parochiam monitus abſque Noſtrà licentia, pernoctauerit, vtique punietur.

§.6. Canonici Parochi, & alij quicumque ad reſidendum obligati, & Eccleſiarum ſeruitijs in ſuſceptione Ordinum adſcripti, extra Diœceſim, abſque noſtra licẽtia, diſcedere non poſſint, etiam ad breue tempus: vt illicitorum illis negotiorum auferatur occaſio, & Eccleſiæ debitis non fraudentur obſequijs.

§.7. Qui illigitimè à reſidentia ſuarum Eccleſiarum abfuerint, fructus pro rata temporis abſentiæ ſuos non faciant, ſecundum diſpoſitionem Sacri Tridentini Concilij: quos præſenti decreto Monaſterijs Monialium applicamus. Si verò alicuius Collegiatæ Canonici fuerint, fructus pro ea rata diſtribuantur inter eos, qui adfuerint. Similiter qui ad patrimonij titulum ordinati ſunt, & alicuius Eccleſiæ ſeruitio adſcripti, ab illa diſcedere non poſſint ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis.

§.8. Onus ſit Vicariorum noſtrorum Foraneorum, eos, qui à Parochia diſceſſerint Nobis protinus ſignificare. Hoc ipſum etiam Parocho viciniori iniungimus; qui ſi Nobis ſtatim vicinorum Curatorum abſentiam non ſignificent, ſeuerè ipſi punientur à Nobis.

De ſeminarijs Clericorum.
CAP. XXXV.

A Sacro Tridentino Concilio laudabiliter, ac quidẽ meritò fuit ſtatutum, Cathedrales, & inſigniores Eccleſias Seminaria erigere, ac promouere teneri, pro enutriendis religioſè, & diſciplina Eccleſiaſtica inſtituẽdis Pueris, qui deinceps ſacros Ordines ſuſcipiant; & munia Eccleſiaſtica probè, & ſanctè, (vt miniſtros Dei decet) exequantur; atque à teneris annis ad pietatem, & religionem ſub Dei iugo eruditi, quaſi ligna ſecus decurſum aquarum radicati, vberes doctrinæ, probitatis, & bonorum operum fructus in tempore ſuo ad fidelis populi vtilitatem producant. Seſſ. 23. c. 18. de reform.

§. 2. Nos itaq; vt quæ iam Seminaria ſunt inſtituta conſeruentur, & in diem augeantur, præcipimus Seminariorum Præfectis, vt bona, fructus, & redditus pro ijs locis fideliter adminiſtrent: Et ſingulis annis de illorum adminiſtratione Nobis rationem reddere debeant.

Numerum Puerorum pro Seminarij facultate, & modo conſtitutum non excedant: Famulos inutiles, & ſuperfluos non retineant: Ludimagiſtros non iuuenes, ſed ætate, atq; probatis moribus ſenes, & ſapientes: qui ſcientia, exemplo, & morum probitate iuuentutem ad Dei laudem, populique ſalutem alant, atque inſtituant, habere procurent.

§. 3. Seminariorum propria reſpectiuè capitula, & ordinationes à Nobis traditas, aut approbatas inuiolabiliter obſeruent.

Et ſi quos inobedientes, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ contemptores, aut contumaces Pueros aduertant; poſt alteram, & ternam admonitionem, niſi reſipiſcant è Seminario (de licentia tamen noſtra) eijciant: ne cæterorũ,

qui melioris ſunt indolis, Puerorum mores corrumpant.

§. 4. Cæterum ea omnia, quæ de Eccleſiarum ædificijs, & de Eccleſiæ Iuribus, atque redditibus à Nobis ſunt inſtituta, à Seminariorum quoque Præfectis obſeruari mandamus.

De Vita, & moribus Clericorum in generali. CAP. XXXVI.

Clericorum habitus

VTantur Clerici omnes atque Sacerdotes veſtibus talaribus: honeſtis tamen, & non ad pompam, aut vanitatem, ſed ad modeſtiam, & grauitatem paratis: nec quidem ſericis, niſi perſonæ conditio, & dignitas id expoſtulet.

Veſtes.

Breuiores non induant, niſi valde ſint pauperes, aut rurales, & hi vltra genua tamen eas protenſas habeant, vt à Clericali dignitate, & honeſtate non abhorreant; Veruntamen & ij pauperes, atq; rurales pro diebus Sollemnibus, in Eccleſia, & in Synodo, veſtes talares habeant.

Biretum.

Deferant item omnes congruentem Tonſuram: & Biretum non quidem ſordidum, vel incompoſitum, ſed quod decorem, & honeſtatem præſeferat; vt Dominicæ coronæ inſigni, & Eccleſiaſtico diademate, in ſortem Domini vocati à cæteris de populo dignoſcantur.

Annuli.

Annulos in digito non ferant: niſi eorum dignitas iure illos requirat; neq; ab eorũ collo, vel ante pectus aliquod pendeat, quod aut vanitatẽ, aut ambitionem oſtendat.

Barba.

Barbam Clerici honeſtè inciſam deferant; cuius ſuperior pars ita tondeatur, vt Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumptionem, præſertim verò Sanguinis non impediat.

Arma non ferant.

§. 2. Arma nullius generis, vel offenſiua, vel defenſiua, vel etiam ad venandum parata, neq; interdiu, neq; noctu vllo modo deferant.

Ludos fugiãt.

Ludos quoſcumque cum Laicis, atq; etiam in locis publi-

blicis omninò Clericis prohibemus, præcipuè verò alearum,& taxillorum, qui nec alios quidem ludentes locis præſertim publicis ſpectare audeant, ſub pena arbitrio noſtro, vel noſtri Vicarij Generalis.

§. 3. Clerici, qui in Præsbyteratus ordine nondum ſunt conſtituti, teneantur prima die Dominica cuiuslibet menſis peccata ſua confiteri,& à Sacerdote, qui Miſſam decatauerit, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere. Communio.

§. 4. Dum Miſſa Sollemnis canitur, nullus Clericorum, vel ipſe Curatus ſit, vel etiam Canonicus, audeat inter Laicos in Eccleſia manere; ſed cum reliquis Sacerdotibus in Choro adſiſtat. Et dum verbum Dei in maiori Eccleſia prædicatur, præſertim in Quadrageſima, omnes ad Sacram Concionem audiendam accedant,ſub pænis etiam Carceris, & in loco pro Clericis parató ſedeant, non autem inter Laicos. Non inter Laicos.

§. 5. Aeſtiuo tempore poſt pulſatam noctis horam primam,& hyemali tempore poſt ſecundam,nullus Clericorum domo, niſi ex vrgentiſſima cauſa, egrediatur. Et quo tempore ad diuinas laudes adeſſe debent, caueant, ne per vicos,& plateas videantur incedere, & qui in hoc deliquerint, grauiter punientur. De nocte.

§. 6. Venationem contra ſacrorum Canonũ decreta Clerici non exerceant; Ad Cauponas,& tabernas,niſi in itinere neceſſitatis gratia, non diuertant; Perſonati non incedant; Choreis, ſaltationibus, ſpectaculis,comœdijs, & congregationibus maximè mulierum, non interſint; quæ ſi poſt cõuiuia,in quibus Clerici inter cõſanguineos honeſtè fuerint,celebranda erunt,expletis conuiuijs ſurgant ipſi,& poſt gratiarum actiones è loco diſcedant. Venatio. Perſona.

§. 7. Clerici ab omni ſuſpectarũ mulierum conuerſatione, familiaritate,& cohabitatione longè ſe abſtineãt; nec cum conſanguineis vltra ſecundum conſanguinitatis gradum habitare poſſint, niſi licentia à Nobis obten- Erga mulieres.

ta; vt ipſi ſuſpicione careant, & ſcandala, quæ facile euenire poſſent, euitentur. Atque adeò Clerici abſque noſtra licentia, mulieres legere, ſcribere, aut cantare, vel ſonare non doceant.

Officia laicalia non faciãt.

§. 8. Ab illicitis negotiationibus omnino ſe contineant; Et ideo coram Iudicibus Laicis cuiuſuis cauſæ patrocinium non ſuſcipiant, nec pro Aduocato, iure id non concedente, aliquando inſeruiant. In profanis negocijs tabellionatus officio, aut alicuius Vniuerſitatis Scribæ, non fungantur. Gubernationes, aut procurationes non ſuſcipiant. Medendi artem non exerceant; Aliena prædia lucri gratia non conducant. Pro alijs, abſque licentia noſtra, non fideiubeant. Et in Laicorum quorumcumque famulatu, abſq; noſtra licentia in ſacris conſtituti nullo modo deſeruiant.

Alicui Eccleſię inſeruiant.

§. 9. Omnes Clerici minorum, ac maiorum Ordinum quorumcumq; locorum, qui certæ Eccleſiæ ſeruitio non ſunt adſcripti, teneantur ſingulis diebus feſtiuis in maiori, & Parochiali Eccleſia diuinorum officiorum celebrationi intereſſe, & in quibus à Parocho fuerit illis iniunctum, deſeruire.

Priuandi Clericali priuilegio.

§. 10. Eos, qui in primæ Tonſuræ, vel minorum Ordinũ ſuſceptione, alicuius Eccleſiæ ſeruitio adſcripti ſunt, niſi actu inſeruierint; Et ſimiliter eos, qui nunquàm Eccleſiæ inſeruiunt, ſed mundo, ac Sathanæ potius, & Clericalem habitum, atque Tonſuram non deferunt, præſenti noſtro decreto, priuilegio Clericali priuamus, & priuatos decernimus.

Erga Moniales

§. 11. Ad Monialium Monaſteria nullo modo accedant, vt cum Monialibus loquantur, niſi legitima vrgente cauſa à Nobis, aut à Vicario noſtro Generali approbata, ac propterea licentia in ſcriptis obtenta; ſub pœnis in Edicto noſtro ſuper hoc dato contentis.

Non vocati nõ cant.

§. 12. Non pergant Sacerdotes ad celebrandum in aliena Parochia Sollemnitatem, funus, aut Anniuerſariũ niſi

niſi qui nominatim vocati fuerint. Et qui ſecus aduenerint vltrò, careant omni eleemoſyna, ſiue ſtipendio, nec ad prandium admittantur, quod vocatis eſt paratum.

De Regularibus.

CAP. XXXVII.

NVllus Regularium curam animarum habentium eam exercere præſumat, niſi à Nobis expoſitus, licentiam noſtram obtinuerit. Qui & quæcumque hac noſtra Synodo à Parochis ſeruanda iubemus, ipſe omnino ſeruet, & adimpleat. Et quando curam animarum ipſi contigerit derelinquere, Parochiales libros ſuo ſucceſſori fideliter omnes tradat.

§. 2. Nullus eorũ Prædicatoris in noſtra Diœceſi fungatur officio, qui ſecundum Tridentini Conc. præſcriptum, licentiam, & benedictionẽ à Nobis non obtinuerit. Seſſ. 24. c. 4. de reform.

Confeſſiones item Regulares audire non poſſint, niſi de noſtra licentia: Et tunc neq; à caſibus Sedi Apoſtolicæ, aut Nobis reſeruatis, nec à cenſuris Eccleſiaſticis abſoluant, & præcipuè caueãt ne auaritiæ, aut Simoniæ labe notentur.

§. 3. In domibus Laicorum, niſi infirmorũ, Confeſſiones audire non poſſint; ſed in propria tantũ ipſorũ Eccleſia, & tempore debito, neq; noctu, neq; ſummo mane, & in ſede lignea ad ſuperius per Nos traditã formã parata. Supra c. 6. §. 4.

Euchariſtiæ, vel Extremæ Vnctionis Sacramenta ne miniſtrent, neque etiam tertiarijs ſuorum Ordinum infirmis, niſi de proprij Parochi licentia: Qui ſi quando abſuerit, & neceſſitas vrgeat; præmiſſa tunc illis Nos poſſe miniſtrare concedimus.

§. 4. Indulgentias licèt etiam ipſis conceſſas, nouas reliquias, vel noua miracula ipſi non publicent: nec populorum concurſum ſub miraculorum ſpecie permittant,

tant, licentia prius à Nobis non obtenta.

§. 5. In Eccleſijs Clericorum ſecularium, & in priuatis Laicorum Oratorijs pro Capellano non inſeruiant, nec in eis Miſſas celebrent, abſque Noſtra licentia: quam qui obtinuerint, Parochiali Eccleſiæ in diuinorum celebratione impedimento non ſint.

§. 6. Ad colloquendum cum Monialibus non accedant ſub pœna, vltra peccatum mortale, amiſſionis vocis actiuæ, & paſſiuæ, prout in decreto Congregationis Concilij: Et in earum Eccleſijs non celebrent, ſine licentia noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis in Ciuitate, & extra Ciuitatem Foranei.

§. 7. Denique monemus omnes Regulares ex declaratione Sacræ Congregationis rituum, teneri ad celebranda feſta Sanctorum loci, in quo degunt, Patronorum, non autem ad illorum Octauas.

De Societatibus Laicorum.
CAP. XXXVIII.

Societatum laicorũ Vtilitas.

EX Laicorum Societatibus probè inſtitutis, & piè obſeruatis, ingens vtilitas in Eccleſiam emanare probatur ad Chriſti fidelium mores corrigendos, atque emendandos. Cupientes propterea Nos, vt ſic inſtitutæ Societates, quotidie magis, ad Dei laudem, & animarum ſalutem, vberiorem in Domino progreſſum faciant: infraſcripta ab eis inuiolabiliter præcipimus obſeruari.

§. 2. In primis quarumcumq. Societatum Confratres, ipſam Regulam, quam profitentur obſeruent: ſtatis temporibus in vnum conuenientes, ſub certo viuendi modo, orationibus, vigilijs, & diſciplinis operã nauent: frequẽti Sacramentorum ſuſceptione, & charitatis opera exercẽdo, cæteros exemplo ſuo ad meliorẽ frugem excitent.

Diuinum Officium pro Laicorum Confraternitatibus inſti-

inſtitutum, tempore congruo deuotè perſoluant: Et ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum iuxta cuiuslibet ſocietatis decreta ſuis tẽporibus ſumere nõ prætermittãt.

§. 3. Qui Doctrinam Chriſtianam ignorat, in Societatem non recipiatur: niſi tamen ipſamèt Societas ex ſuo inſtituto Doctrinam Chriſtianam edoceat Item facinoroſi homines, publici vſurarij, concubinarij, & his ſimiles, niſi prius reſipiſcant, & in melius vitam commutent, non admittantur. Sciant Doctrinã Chriſtianã.

§. 4. Prioris, & aliorum Societatis Officialium electiones fiant præſente Parocho, vel Correctore: qui tunc id præcipuè prouideat, vt omnia in pace tractentur. Et ob id quandocumque Societas congregatur, Capellanus in principio deuotè recitet Orationem de Spiritu Sancto. In fine autẽ antequam è Societate diſcedant, orent aliquãtulum Confratres ſub ſilentio, & in Deum corda, & quaſcumque actiones dirigentes, illi gratias agant. Pro electione Prioris, & cæterorum.

§. 5. Habeat quælibet Societas libros infraſcriptos, Librum videlicet Ordinationum ſuarum, in quo determinationes, & Sanctiones capitulariter factæ per ſcribam, ſiue Cancellarium à Societate deputatum exarentur, cum annotatione diei, menſis & anni.

Librum, in quo ſcribantur incertæ pecuniæ, quæ dietim vel offeruntur, vel exiguntur, cum annotatione diei, menſis, & anni.

Librum, in quo annua legata, onera illis annexa, & quæcumq; alia onera Societatis in celebratione Miſſarũ, diuinorum officiorum recitatione, eleemoſynarum diſtributione, vel alterius generis, deſcribantur: cuius copia ad Nos tranſmittatur.

Librum Inuentarij bonorũ Societatis: in quo, vt bona Societatis in dies augeantur, & debitè conſeruentur, & vt illorum redditus, ac prouentus in vſus pios, ac pauperum miſerabilium ſuſtentationem erogentur, mandamus, omnium bonorum mobilium, & ſtabilium fieri de- Inuentariũ pro Societate Laicorum.

ſcri-

ſcriptionem in termino trium menſium ad formam inuentarij ſuperius à Nobis traditam: (niſi tamen hucuſq. ſit facta :) Cuius copia ad Nos tranſmittatur.

Sup. c.28.

Bona Societatis conſeruanda.

§. 6. Adminiſtratores bonorũ Societatis non poſſint de illis ad libitum ſuum diſponere, neq. ea inter ſe diſpẽſare, aut ex illis proprias educere vtilitates, & cõmoda: Immò neq. illis ad mercaturam, vel alios contractus in priuatum vſum non vtantur: Sed iuxta pias fidelium voluntates, piè, atq. fideliter ea adminiſtrent. Nec emant aliquid, quamuis pro Eccleſia, niſi cum participatione cæterorum Confratrum, & conſenſu Parochi.

§. 7. Si quæ bona Societatis fuerint ad certum vſum delegata, ad alios quoſcumque vſus ea non conuertãtur: ne piæ fidelium voluntates defraudentur.

§. 8. Singulo quoq. anno bonorum Societatis Adminiſtratores corã duobus de Societate, & Vicario Foraneo noſtro, vbi ille eſt, aut Parocho, rationem reddere teneãtur, & deinde non ipſimet confirmentur, ſed eligantur noui Adminiſtratores, ne diuturnum horum officium videatur illis aliquod in Societatem dominiũ prærogaſſe.

Qui ex reddita ratione remanſerit debitor, infra decẽ dies omnino Societati ſatisfaciat: aliòquin ipſo Iure à Societate excluſus intelligatur, in eam vlterius non admittendus, & nihilominus id Prior Nobis ſignificet, vt pœna etiam Carceris, ad ſatisfaciendum cogatur.

§. 9. Bona Societatis non locentur ad longum tempus: & quæ iam diù authoritate Apoſtolica locata ſunt, cum ad Societatem reuerſa fuerint, amplius non concedantur, abſque noſtra licentia prius obtenta.

Locationes ad breue tempus non fiant, niſi propoſitis bannimentis, & publicis Edictis, ne aliqua vnquam committatur fraus: Neq. vllo pacto illi locentur, qui Societati aliquid debet. Et cautio ſemper in huiuſmodi locationibus legitima requiratur. Qui verò ſecùs hæc Societatis bona conceſſerit: teneatur ad ſatisfaciendum Societati de ſuo.

§. 10. Nulli

§. 10. Nulli vnquàm Sodalitati eleemoſynas publicè quæritare liceat, niſi facultate à Nobis in ſcriptis impetrata, ſingulo quoque anno renouanda: ſub pœna decem aureorum, & alijs arbitrio noſtro toties quoties, præter amiſſionem totius collocatæ eleemoſynæ. | Eleemoſynæ pro Societatib.

Quæ verò eleemoſynæ à Societate ſunt diſtribuendæ, curet Parochus, vt verè egenis, & miſerabilibus tribuantur; neque vlla in hoc fraus committatur; quod ſi ſecus fieri viderit, Nobis ſignificet.

§. 11. Veſtes pro vſu Societatis, quas Saccos vocant, Confratres non retineant apud ſe domi: ſed in Societatis communi loco, & qui à Societate abierint, vel eiecti fuerint, eas Societati dimittant. | Sacci Confratrum.

§. 12. Pro feſtiuitate Societatis, & pro quacumque alia occaſione, abſtineant omnino Cõfratres à commeſſationibus, edulijs, ientaculis, neque verò quicquam Sacerdotibus, & Religioſis ad manducandum in Societate conferant, quorum opera, ſi in celebratione Miſſarum, aut aliorum officiorum recitatione vſi fuerint, in numerata pecunia illis eleemoſynas tribuant. | Comeſſationes in Societate interdicuntur.

§. 13. Si quando deuotionis ergò Laicorum Societates ad aliquam viſitandum Eccleſiam peregrè proficiſcãtur: pro itineris expenſa; nolumus Societatis redditus, aut cenſus exponi: ne quæ in pauperum ſubſtentationem ſunt eroganda, in propriam Cõfratrũm commoditatem applicentur; ſed Confratres qui illò proficiſcũtur ſumptibus proprijs ſibi prouideant. Et ſi quis contrafecerit, ſatisfaciat de proprio Societati. | Pro peregrinationibus Societatum.

§. 14. In Hebdomada Sancta, vel aliàs per annum, Mulieres nocturno tempore numquã admittantur Orationibus, Officijs, aut pedum ablutioni, alijſuè quamuis pijs operibus, aut exercitijs, quæ à Confratribus fiunt. | Mulieres nocturnæ arceantur à Societate.

§. 15. Extra Sanctorum feſtiuitates, quibus in Laicorum Oratorijs frequens adeſt populus: non audiat quiuis ſacerdos ibi ſecularium, & præſertim mulierum | Pro Cõfeſſarijs Societatum.

Confeſſiones: Et abſque noſtra licentia, nullus ijs in locis, alijſuè priuatis Oratorijs, aut ædibus, conciones aut ſermones habeat.

§. 16. Caueant valde Confratres, qui in maioribus Eccleſijs, vel propè eas, ad recitandum Beatiſſimæ Virginis Officium, aut ad alias ſuæ Societatis preces conueniunt, ne Confeſſionum auditionem, Miſſas, ſiue reliqua Eccleſiæ officia, voce, vel Campanæ ſonitu, ſiue alio rumore, impediant.

Pro mortuorũ exequijs. §. 17. Denique in Mortuorum exequijs nullus Confratrum cuiuſuis Societatis, diſtribuendi eleemoſynas officio fungatur: ſed hoc Parochi munus ſit, vel alterius Sacerdotis, cui Parochus iniunxerit. Neque vllo pacto audeant Confratres, mortuorum corpora ſine proprij Parochi præſentia, & conſenſu ſuſcipere. Aliòquin tranſgreſſores punientur à Nobis ſeuerè.

De Monte Pietatis. CAP. XXXIX.

VT bona Montium Pietatis fideliter, atque integra conſeruĕtur, & in pauperum miſerabilium detrimentum non pereant, habeant in primis Montium Præfecti præ manibus Bullam Pauli Quinti Summi Pontific, quam in omnibus obſeruare tenentur.

Ea enim prohibentur diſtrahi pecuniæ Montium pietatis in alios vſus, quàm in vſus à primæua ipſorum erectione deſtinatós.

Quicumque verò pecunias tàm pro ſorte principali à principio Monti aſſignatas, quàm pro dictæ ſortis augmento poſtea acquiſitas, in alios, quàm pauperum vſus, iuxta modum, & formam in erectione dictorum Montiũ præſcriptam abſque ſedis Apoſtolicæ licentia, conuerterit, aut diſtraxerit: ſub quouis prætextu, vel quæſito co-

lore:

lore: etiam cum obligatione intra quodcumque breue tempus reſtituendi: pœnam ſubeat Excommunicationis ipſo facto incurrendam, à qua, niſi à Romano Pontifice non poterit abſolui.

§. 2. Conſtituantur Capituli, & Ordines pro quolibet Pietatis Monte; & illud in primis decernatur, & diligenter omninò ſeruetur, quòd frumentum, pecuniæ, cæteraquè Montis pietatis bona, verè, & realiter, cum omni ſinceritate pauperibus verè indigentibus erogentur, & non alijs.

§. 3. Mandamus, vt in futurum nemini omninò pecuniæ Montis tradantur, niſi ſuper pignoribus realiter depoſitis, & pignus depoſitum ſemper excedat in valore duplum pecuniæ mutuatæ. Veruntamen ſuper quoduis pignus quamuis (vt prædictum eſt) duplum pecuniæ excedere debeat, non mutuentur amplius quàm quattuor floreni, vel minus, vbi minor ſumma conſuetum eſt commodari.

§. 4. Non recipiantur in pignus arma cuiuſuis generis, neque libri, non enim facile hæc redimuntur, nec eorum emptores deinde facile inueniuntur.

Quòd ſi is, qui recipiendorum pignorum officium habet, in hoc deliquerit, proprijs pecunijs Monti ſatisfaciat, & hæc ſibi pignora recipiat.

Item pro rebus publicis, Montis pecuniæ non mutuentur, hæc enim etiam poſt longa tempora, vix quandòq; exiguntur. Et qui contrafecerit, Monti de proprio ſatisfaciat.

§. 5. Vt autem fraudibus, quæ in pignorum commutationibus committi poſſent, obuiemus, præcipimus, vt qui diuerſas pecuniarũ quantitates ſuper diuerſa pignora receperit, meliora pignora, deterioribus relictis, releuare non poſſit: neque concedatur illi pignora depoſita mutare, vt ijs receptis, alia ipſorum loco ſubſtituat.

§. 6. Officiales, & Depoſitarij Montis, vt ſi in aliquo

præmiſſorum errauerint, nullá excuſationem prætende-re poſſint: Non per interpoſitã perſonam, & ſubſtitutos, ſed per ſe ipſos, officium, ad quod electi ſunt, exequãtur. Et vt montis indemnitati maxime conſulatur: teneãtur omnes Montis Adminiſtratores, de geſtis per eos ad anni finem rationem reddere côram noſtro Vicario Generali, vel Foraneo, & ſuis ſucceſſoribus in officio.

§ 7. Et in termino trium menſium Officiales Montis conficiant Inuẽtarium omnium bonorum præcipuè ſtabilium Mõtis, ad formam ſuperius à Nobis præſcriptam, cuius copia ad Nos tranſmittatur.

Libri verò, in quibus pignora deſcribuntur, ſicut & pecuniæ Montis, ſummo ſtudio cuſtodiantur, ne pereãt.

§. 8. Et quia pignora, niſi à pulueribus, tineis, reliquiſq. immunditijs expurgentur, facilè corrũpuntur: ideò Montis Officiales, ſingulo quoq; mẽſe, ea omnia recognoſcãt, & excutere faciant: Nam ſi ipſorum culpa, pignora perierint, ipſi proprijs ſumptibus Monti ſatisfaciant.

§. 9. Tempore elapſo iuxta Montis inſtitutã præſcripto, pignora à proprijs Dominis non redempta, plus offerenti vendantur. Quòd ſi Montis Præfecti in hoc negligentes fuerint, eorum Succeſſores in officio, hæc pignora recipere non teneantur: ſed pecuniam pro pignoribus traditam ab ipſis exigant.

§. 10. In fraudem verò Montis pignora redimere non liceat, vt illa eodem tempore, vel breui interuallo, iterum in pignus tradant; ſic namq; fieret, vt numquam hæc vendi poſſent.

De Hoſpitalibus.
CAP. XL.

Hoſpitalia, ad pauperum pupillorum egeſtate, aut ægritudine laborantium, peregrinorum quoque commo-

commodum,& ſuſtentationem inſtituta, vt probè, ſicut decet, gubernentur hæc de illis ſtatuimus.

Hoſpitalarius eligatur vir, cuius fides, pietas, morum integritas charitas, & diligentia, proborum hominum teſtimonio commendetur,& experimento aliàs probata ſit. Is neq; hoſpitalis bona in ſuum transferat vſum,neq; ab aliquo ex receptis in hoſpitio quicquam petat,aut accipiat, etiam ſpontè oblatum.

§. 2. Hoſpitalium Miniſtri non proprijs, ſed eorum quorum habent curam, commodis, & vtilitatibus proſpiciant: pauperes decenti charitate recipiant, & gubernent: quibus iuxta Hoſpitalis inſtituta, neceſſaria impendant: Vt cubilia ſemper ſint munda prouideant, nec ad proprium commodum illis vtantur.

§. 3. Bonorum Hoſpitalis mobilium, & ſtabilium in termino trium menſium fiat Inuentarium ad ſtatutam Sup.c. 28. per Nos ſuperiùs formam: Cuius Inuentarij copia ad Nos tranſmittatur.

§. 4. Curet Hoſpitalarius,ne hoſpitio ſuſcepti aliquid contra pietatem, & Chriſtianam religionẽ committant.

Mulieres iuuenes, etiam ſi Hoſpitalariorum ſint vxores, in hoſpitali non morentur.

Si quando viri, & mulieres in hoſpitali fuerint, non permittat Hoſpitalarius, mulieres cum viris, etiam ſub matrimonij ſpecie ſimul dormire: niſi conſtet expreſſe eos eſſe coniuges: Nec pueros permittat cum maioribus natu, niſi eos eorum eſſe filios manifeſtè probetur.

§. 5. Vt hoſpitalia, quæ curam habent recipiendi infantes expoſitos, rectè gubernentur, & infantes fame non pereant, ſtatuimus hoſpitalarium teneri; quamprimùm in hoſpitali aliquem infantulum expoſitum receperit, in libro ad hoc tantùm deputato, ſub certo die, menſe, & anno, deſcribere eum, & nomen pueri, & Nutricis,cui nutriendus traditur, & loci,vbi illa habitat: vt ſemper & pueri, & Nutricis notitia habeatur.

De

De hòrum verò infantium expoſitorum baptiſmo, vide, quæ nos ſupra capite de baptiſmo mandauimus.

§. 6. Cum non deceat Sanctimoniales Virgines Deo dicatas profana quãdòq; & inhoneſta audire, Nos idcirco, ſi quæ hoſpitalia Monialium curæ ſunt demandata, ab illarum cura, & gubernatione eximimus: ſine præiudicio tamen redditũ, & cenſuũ Monaſterijs applicatorũ.

Et nihilominus teneantur Moniales, quæ pro adminiſtratione, & cura huiuſmodi hoſpitalium impendere conſueuerant, illa quolibet anno miniſtris à Nobis deputandis conferre.

De Legatis Pijs.
CAP. XLI.

PIæ teſtantium voluntates, ne executorum malitia, aut Notariorum negligentia pereant; & ob id fidelium animæ, quæ à Purgatorij pœnis, per viuorum ſuffragia releuari expectant, ne defraudentur; ſtatuimus, quod Notarij, qui de pijs legatis in teſtamento relictis rogati ſunt, cum primùm teſtamenta morte fuerint confirmata, de illis intra quindecim dies, in ſcriptis Nobis, aut Vicario noſtro Generali, vel Commiſſario à Nobis deputando, vel ſaltem noſtro Vicario Foraneo (qui ad Nos intra quindecim alios dies deferat) notulam exhibeant, vt negligentes ad illorum ſatisfactionem debitè compellantur. Et prædicti eos item monebunt, quibus pia legata ſunt facta.

Notarij teneantur prodere legata pia.

Qui itaq; Notarius ſecus egerit, ſit ipſo facto excommunicatus, abſolutione Nobis reſeruata.

§. 2. Habeat quilibet Eccleſiæ Rector, & præſertim Parochus, librum ad id ſpecialiter paratum in Archiuio Eccleſiæ conſeruandum, in quo pia legata Eccleſiæ facta quæcumque ſcribantur, & quibus illa oneribus, & condi-

tionibus ſint relicta, & ſtatim atque de illis notitiam habuerit, eodem libro adnotare teneatur, & poſtmodum quo tempore, & qua ratione illis fuerit ſatisfactum, ſimiliter deſcribat. In quo libro etiam appareat, quibus vſibus pecuniæ ex pijs legatis receptæ applicatæ fuerint; vt comperientes Laici omnia in diuinis recto ordine ab Eccleſiarum Rectoribus diſponi, Eccleſiarum conſeruationi, & augmento magis propendeant.

§. 3. Vt verò ambiguitates, & ſcrupuli auferantur circa eleemoſynarum quotam pro Miſſis piè legatis de Sancto Gregorio ad animarum ſalutem exoluendis, declaramus, & decernimus eam eſſe ſaltem quindecim Iuliorũ, vt pro qualibet Miſſa dimidium ſaltem Iulij conferatur. Quota eleemoſynarum pro Miſſis Sancti Gregorij.

De Medicis.
CAP. XLII.

Antequàm Medici curandorum ægrotantium onus ſuſcipiant, eos moneant, vt idoneo Confeſſario peccata confiteantur, & diuinam prius, quàm humanam appetant medicinam. Quòd ſi infirmus id agere recuſauerit, poſt ternam illius viſitationem, ex Conſtitutione D.N. Pij.V. illius curam relinquant: nec quoaduſq; confiteatur infirmus, vllo modo ipſum adeant. Vt verò hoc ipſum inuiolabiter obſeruetur, iureiurando ſpondeant Medici, ſe Conſtitutionem præfatam Pij. V. Pont. Max. ſeruaturos: Et ad id cogantur à Parochis, etiam (ſi opus fuerit) Cenſuris Eccleſiaſticis.

§. 2. Teneantur Medici notificare Parocho eos, qui aliquo morbo in ipſius Parochia laborant, vt ſtatim pro ſui officij munere valeat Parochus ægrotum inuiſere, & de illius ſalute conſulere. Quòd ſi Medici in hoc negligentes fuerint, eos Parochus vt id præſtent, hortetur, & niſi paruerint, Nobis ſignificetur.

§. 3. Chi-

§. 3. Chirurgi, quos viderint Clericos vulneratos, Nobis, aut Vicario noſtro ſaltem Foraneo, denunciare teneantur: Et hoc ipſum præſtent, ſi vulneratis à Clericis medicamina adhibuerint.

De Ludimagiſtris.
CAP. XLIII.

VT Ludilitterarij, bonarumq; artium Magiſtri non ſolum doctrina, ſed multo magis fide Orthodoxa, ac bonis moribus imbuti eligantur, hi, ad quos ſpectat, curent quàm diligentiſſimè: cum ex hoc potiſſimũ adoleſcentium ſalus, & incorrupta vitæ, ac morum inſtitutio pendeat. Quo circa id ab huius noſtræ Ciuitatis Magiſtratibus ſummoperè petimus, vt neminem in Ludimagiſtrum recipiant, qui antea à Nobis, vita, & moribus idoneus non ſit cognitus, & approbatus, teſtimonio præſertim aliquorum ſpectatæ probitatis, & fidei hominum, quibus ille diuturno tempore notus ſit.

§. 2. Parochi verò non patiantur quempiam intra ſuæ Parochiæ fines, docendi munús publicè ſuſcipere, vel ſuſceptum exercere, niſi cum fidei profeſſionem feciſſe, iuxta formam in Litteris Pij Quinti traditam, facultatéq; ludi ibidem aperiendi à Nobis impetraſſe appareat.

